Imprimatur.

JOH. HALL, R.P.D.
Epiſc. *Lond.* à Sac. Domeſt.
Ex ædibus *Londinenſ. Octob.* 27.
1664.

Imprimatur.

JOH. HALL, R.P.D.
Epiſc. *Lond.* à Sac. Domeſt.
Ex ædibus *Londinenſ. Octob.* 27.
1664.

EXAMEN

Diatribæ Thomæ Willisij Doctoris Medici et Professoris Oxoniensis

DE

FEBRIBVS

Authore Edmundo de Meara Ormoniensi Hiberno M.D et Coll: MED. London Socio honorario.

BIBLIOTHECA·REGIA·MONACENSIS

Examen
DIATRIBÆ
THOMÆ
WILLISII,

Doctoris Medici, & Professoris *Oxonienſis*,
De Febribus.

Cui acceſſerunt
Hiſtoriæ aliquot Medicæ rariores.

Authore
EDMUNDO *de* MEARA,
Ormonienſi Hiberno, Medicinæ Doctore.

LONDINI,
Typis *J. Fleſher*: proſtat venale apud *Octav. Pulleyn* juniorem, ſub ſigno *Bibliorum* juxta oſtiolum boreale D. *Pauli*, MDCLXV.

o · 1 · 6

BODLEIAN
19 FEB 1937
LIBRARY

Illuſtriſſimo D.D.

KENELMO DIGBÆO,

Equiti Aurato, & Sereniſſimæ HENRIETTÆ MARIÆ, Magnæ *Britanniæ* Reginæ Matris, Cancellario.

DIU mihi deliberandum non fuit, Vir Ill^me^, cuinam potiſſimùm lucubratiunculas haſce nuncupatum irem. Quem enim Literarii hujus Certaminis ἀγωνοθέτην & arbitrum auſpicatiùs eligerem quàm Te, Virum omni tum divinæ tum humanæ

manæ Literaturæ ſupellectile inſtructiſſimum, quem literati omnes tanquam Βιβλιοθήκην ἔμψυχον venerantur ac ſuſpiciunt? Cujus patrocinium lubentiùs ambirem quàm Tuum, Viri & natalium ſplendore illuſtris, & militari gloriâ inclyti, & rerum omnium uſu & cognitione ſupra mortalium pleroſque cumulatiſſimè ornati? Cui labores hos qualeſcunque alacriùs offerrem quàm Tibi, cujus in me humanitas omnem non modò referendi ſpem eripuit, ſed & gratitudinis exprimendæ facultatem exhauſit? Verùm alio etiam titulo fœtus iſte meus clientelam

clientelam Tuam non tam ambire, quàm jure quodam ſuo vendicare videtur: Tu ſiquidem illum à parente ſuo perpetui carceris damnatum in lucem & libertatem aſſertum voluiſti: Tu adverſarios denſo agmine invaſuros expaveſcenti, animúmque ante tubam deſpondenti, favoris Tui ſpiritum & vigorem inſpirâſti; quibus refocillatus, ultro jam arenam & pulverem depoſcit, eruditorum ſcilicet omnium judicii ſecurus, ſi Tui. Patere igitur ut ſub Tuæ authoritatis patrocinio lucem aſpiciat; quâ benignitate ad ſubli-

miores conatus majores animos feceris

Illmæ Domonis tuæ Famulo
Addictissimo,

Edm. de Meara.

Examen

Examen Diatribæ
THOMÆ WILLISII,
Doctoris Medici, & Profeſſoris
Oxonienſis, De *Febribus*.

PRÆFATIO.

QUamquam in patentiſſimo Speculationum Medicarum Oceano, eodémque non minùs magnalium & arcanorum quàm perplexitatum & ambiguitatum propemodum inextricabilium feraciſſimo, liberrimum cuilibet ſemper fuerit, ac porrò debeat eſſe, diverſo à Majorum veſtigiis curſu inſtituto ingenii vela explicare, novóſque Orbes & exotica Sidera luſtrando detegere; quum tamen Medicina

non

non in Subtilitatum ſcrutinio quieſcere, ſed ad Praxin deſcendere, atque operi manum admovere debeat, hanc indagandi libidinem, ſive (*ut* Galeni *verbis utar*) ἐρωτικὴν μανίαν, *eo moderamine temperari par eſt, nè laſcivientis ingenii luxurie & inſanâ innovandi prurigine, quâ plerique ineſcantur, Speculationes inanes forſan & inutiles, eatenus tamen innoxiæ quamdiu in illis ſubſiſtitur, nec ad Praxin fit progreſſus, periculoſam errorum catenam in ſalutis humanæ pernicie deſituram à tergo trahant: Quod ſi quando contingat, tum enimvero omnibus Artis filiis id oneris incumbit, ut ingruenti tempeſtati pro cujuſque modulo obviàm eant & periculo antevertant. Hâc ego conſideratione impulſus, cùm adver-*

adverterem nonnulla Ampliſſimorum Virorum, Harvæi *ſc. &* Gliſſonii, *Theoremata, graviſſimis* Thomæ Williſii, *Medici alioquin longè doctiſſimi, erroribus practicis anſam & umbram præbuiſſe; non potui quaſdam eorum Opiniones refellendas non aſſumere, ratus id humani generis intereſſe, quum quò celebrior eſt Medici errantis authoritas, eò funeſtior eſſe debeat ægrotantium calamitas, & certior diſcentium abuſus. Ac profectò ſi unquam laboranti Medicinæ ſuccurrendum fuit, id hâc potiſſimùm tempeſtate factum oportuit, quâ quamplurimi Viri Celebres in convellenda ejus fabrica ruderibúſque complanandis ex profeſſo inſudârunt; cum quibus ut ſociam conjungeret operam Williſius,* in loca devia

Præf. de Ferm. devia vaſtámque ſolitudinem nullis calcatam veſtigiis ſibi ipſe dux & comes peregrinatus, *novam cum Fermentationis myſterio indè reportavit Pyretologiam, numeroſis monſtroſarum opinionum portentis refertam, dignam ſanè quæ eò unde advecta eſt ab hominum conſortio denuo remigret; in qua tamen adeò complacuit Authori, ut in ejus* lumine *jam affulgente non acquieſcere, damnatis omnium retrò Seculorum tenebris,* inſignis eſſe pervicaciæ argumentum, *quæque* Viros prudentes & Philoſophiam profeſſos minimè deceat, *affirmare non dubitaverit. Ejus hîc Synopſin exhibere placuit.*

Præf. de Febri.

Synopſis

Synopsis Pyretologiæ *Willisianæ.*

CAPUT I.

FEbris Definitionem in tertii Capitis summario pollicitus, eam dicit esse Motum sanguinis inordinatum, ejúsque nimiam effervescentiam, cum calore, siti aliísque præterea symptomatis, quibus Oeconomia naturalis variè perturbatur: In primo autem Capite dixerat Febrem esse Fermentationem, sive Effervescentiam immodicam sanguini & humoribus inductam; *Humores* verò quos sanguini in fermentationis societate conjungit, sunt succus quo cerebrum partésque nervosæ irrigantur, chymus seu *succus nutritius, & latex serosus.* Succum cerebrum partésque nervosas irrigantem statuit *æquabili motu & quâdam circulatione* à sanguine in nervosum genus transmitti, indéque denuo ad sinum cruoris

Cap. 1. p. 2.

Ibid.

cruoris refundi, qui ſi labem à ſanguine contrahat, vel in motu pervertatur, author ſit Dolorum, Rigorum, Convulſionum, Delirii, Phrenitidis, & plerorumque nervoſi generis ſymptomatum. Nutritium ſuccum ſeu chymum ſtatuit è quotidiano pabulo ſuppleri, ſanguini miſceri, ab eo inter circulandum ſibi aſſimilari, in humorem perfectum maturari, demum *veteraſcentem* in partium nutrimentum abire & ſeponi: quamdiu hæ mutationes ritè obeuntur, ſanguinem inculpatè fermentari; ſin ejuſmodi ſuccus à ſanguine non ritè maturetur, nec aſſimiletur, ſed confuſus & tamquam heterogeneum quiddam in ſanguine maneat, ebullitionem febrilem contingere, non quidem continuò, ſed quando ſanguis illo fuerit ad plenitudinem ſaturatus: hunc autem ſuccum non *ſuo, nec viſcerum, ſed ipſius ſanguinis vitio corrumpi*; ſanguinem enim ſanguificare rectè diſpoſitum; ſin à nativa & genuina indole, in *naturam acrem aut auſteram degeneret*, ſucci nutritii penum pervertere.

Cap. 3. p. 28, 29.

Ibid. p. 29.

Ibid. p. 29, 30.

Ibid. p. 30.

Sanguinem

Sanguinem componit non ex quatuor Dogmaticorum humoribus, Sanguine ſcil. ſtrictè ſumpto, Pituitâ & utrâque Bile; ſed ex *quinque Chymicorum principiis, Spiritu, Sale, Sulphure, Aquâ & Terrâ*: Pituitam autem & utramque Bilem, cùm ſint ſanguinis *recrementa, in propriis receptaculis aut viſcerum anguſtiis* concludi, ac ſanguini non miſceri exiſtimat, ideóque nec Febris cauſam eſſe. Cap. 1. p. 5. Cap. 1. p. 4.

Duplicem in Sanguine ponit Fermentationem, naturalem unam, morboſam alteram. Naturalem ex duplici accerſit cauſa: ex ipſius ſcil. Sanguinis craſi, quæ in debita Sulphuris, Salis & Spiritûs proportione conſiſtit, & ex Hogelandico fermento, ſive igne *Carteſiano* in cordis foco recondito, qui ſanguinem eò influentem in momento accendit. Morboſam in principiorum unius aut plurium ametria locat. Cap. 2. p. 20.

Ex morboſa Febrium natales deducit, & pro triplice Fermentationis in ſanguine gradu ſeu modo, triplicem ponit Febrium continuarum differentiam;

tiam; vel enim ſolum ſpiritum, vel etiam ſulphuream & oleoſam ſubſtantiam fermenteſcere, vel miaſmate venenato ſanguinem infici: Ex primo *Ephemeram* unius aut plurium dierum ſeu Synochum, ex ſecundo *Febres putridas*, ex ultimo Peſtem, Variolas & Morbillos deducit.

Cap. 7. p. 65.

Ibid.

Intermiſſionis & ſtatarum periodorum cauſam conſtituit ſucci nutritii à ſanguine malè temperato, illum nec probè maturante, nec aſſimilante, in alienam naturam degenerationem, quo cùm ſanguis abunde fuerit imprægnatus, turgeſcere, fervorem concipere, ac paroxyſmum febrilem excitare eouſque perſeverantem, donec materia peccans per inſenſilem, aut manifeſtam vacuationem excludatur: neceſſe enim eſſe, ut quod ſanguini fervorem exactè periodicum impertitur, aliquid ſit quod ſtatâ ſemper & æquabili menſurâ in corpore generetur; quod nihil aliud eſſe poſſit quàm ſuccus nutritius. Non enim eſſe humorem aliquem excrementitium in minera deliteſcentem,

qui

qui ſenſim & ſtato tempore ad exaltationem promoveatur, & commotus putreſcat, ac ſanguinem accendat; quod rationibus & experimentis probandum ſuſcipit. Experimenta in loco adducemus: Rationes autem ſunt hujuſmodi. Primò, Quia Sanguis perenni circulationis motu omnia vaſorum diverticula perluit, eorúmque ſordes abluit; ideóque nihil noxium in vaſis remanere poſſit. Secundò, Nec in viſceribus, cùm id fieri non poſſit ſine tumore aut abſceſſu. Tertiò, Non poteſt concipere quo inſtinctu ejuſmodi humores in ſocis concluſi ſtata putreſcentiæ, abſumptionis & repullulationis habeant tempora. Quartò, Ejuſmodi humores omnino fictitios exiſtimat, quum quales à Dogmaticis finguntur ſinceri in corpore nullatenus inveniri poſſint; atque ità conficit ſuccum nutritium qui ſtatâ quotidie menſurâ in ſanguinis refectionem cedit, ſtatarum eſſe periodorum cauſam.

Diverſitatem autem periodorum

propter quam Febres in quotidianas, tertianas & quartanas diſtinguuntur, in ſanguinis ipſius diatheſin acrem, acidam aut auſteram rejicit, cujus merito nutritium ſuccum nunc tardiùs, nunc celeriùs putrefacit.

Hæc eſt præclara illa *Pyretologia Williſiana*, in Sanguinis & Succorum nutritii & nervoſi diſtributione, motu & efferveſcentiis fundata, quam *non in libris, ſed per rationum ſyllogas, in vivis & ſpirantibus exemplis, crebrò ægris aſsidendo, ſingula ſymptomata diligenter obſervando, eáque in exacta diaria referendo*, acquiſivit. Jam ſupereſt ut perpendamus,

Quid dignum tanto ferat hic promiſſor hiatu.

An

An Febrim rectè definiverit Williſius.

CAPUT II.

UT rectè definiatur Febris, ut & aliud accidens quodcumque, debent aſſignari tum Subjectum ejus, tum Cauſæ efficiens & formalis; ita ut Cauſa formalis ſit loco Differentiæ, Subjectum & Cauſa efficiens loco Generis. At nihil horum aſſecutus eſt *Williſius*, dum Febris Subjectum ponit Sanguinem, Cauſas autem, Motum & Effervescentiam ejuſdem. Nam quum Sanitas in actionum integritate conſiſtat, actionum autem ſimilarium integritas à debito partium temperamento ut cauſa efficiente procedat; manifeſtum eſt, debitum partium temperamentum tum cauſam eſſe efficientem actionum rectè editarum; tum formalem Sanitatis cauſam: at quum Sanitas & Morbus ſint contraria, Sanitas autem, ut dictum, in actionum integritate conſiſtat, neceſſe eſt Morbum in earundem acti-

onum vitio conſiſtere, & à temperamenti partium ametriâ proficiſci; adeóque eandem temperamenti ametriam tum formalem eſſe morbi cauſam, tum efficientem actionum malè editarum: ſimilarium autem partium temperies eſt ipſum calidum innatum: ergò calidum innatum malè diſpoſitum eſt morborum ſimilarium Cauſa formalis, & actionum ſimilarium non rectè editarum Cauſa efficiens. Febris autem eſt morbus ſimilaris: nam quamvis in Febre nonnunquam actiones organicæ lædantur, id tamen non fit primariò, ſed ſecundariò, quatenus ſcilicet ex partium ſimilarium, ex quibus organicæ componuntur, eupragiâ organicarum integritas dependet. Febris igitur Cauſa formalis eſt calidi innati mala temperies, eadémque mala temperies actionum in Febre læſarum eſt Cauſa efficiens: non igitur Sanguis, vel ejus fermentatio aut motus inordinatus. Rurſus, cùm omnes corporis viventis actiones à principio vitæ participe oriantur, Sanguis autem

tem in partium viventium cenſum non debeat admitti, ſequitur Sanguinem, quantumvis bene diſpoſitum, non rectè ſtatui actionum corporis viventis Cauſam efficientem; proindéque nec malè diſpoſitum Cauſam actionis vitioſæ, quum tum actionis integræ tum vitioſæ idem ſit principium, licèt non eodem modo diſpoſitum. Jam quum Febris ſit morbus univerſalis omnes corporis functiones lædens, vel erit omnium ſimul partium affectio, vel ejus ſaltem partis quæ eſt ad omnium uſum & conſervationem neceſſaria: hujuſmodi autem partem Cor eſſe apud omnes in confeſſo eſt, & negari non poteſt à quo, mediantibus Sanguine & Spiritu, in univerſum corpus Calor ſeu bene ſeu malè temperatus derivatur.

Sed nec Sanguis poteſt eſſe Subjectum Febris; quia cùm partium temperies, in cujus debita conſtitutione actionum integritas conſiſtit, & conſequenter Sanitas, in partibus ipſis ut ſubjecto hæreat, procul-

dubio ejus contrarium, Morbus, in iiſdem partibus ut ſubjecto hærere debet.

Libenter ſanè fateor *Williſianam* Efferveſcentiam & Sanguinis motum inordinatum eſſe poſſe, imò ſæpiſſime eſſe, Cauſam Febris mediatam, quatenus Cordis ac partium temperiem immutat, & calorem nativum accendit: quod tamen quia perpetuum non eſt, imò quia utrumque ſine altero poteſt exiſtere, Febris ſcilicet ſine Sanguinis efferveſcentia, & è contrà, quod de Febre & Cordis temperamento in calorem præternaturalem mutato affirmari non poteſt; conficitur, alterutrum alterius propriam & immediatam Cauſam non eſſe. Quòd autem Febris poſſit eſſe abſque immodica Sanguinis efferveſcentia aut motu inordinato patet in Febre hectica, quæ citra obſervabilem Sanguinis motum aut fervorem partium ſubſtantiam depopulatur. Quòd verò Sanguis citra Febrim ultra modum ferveat, & æſtu mirabili cieatur, luculentam

faciunt

faciunt fidem Scorbutus, Rheumatiſmus, multi morbi cutanei, narium & hæmorrhoïdum fluxus ſanguinolentus, ac profluvium menſtruum. In Rheumatiſmo tantus eſt ac tam inordinatus Sanguinis motus, plerumque ſine Febre, ut impetu præcipiti ab uno membro ad aliud rapiatur, & cruciatus intolerabiles excitet; ac tanta corruptela, ut ſectâ venâ (quam operationem ad Sanguinis ardorem extinguendum ſæpiſſime repeti oportet) nullam Sanguinis ideam, ſed ichoroſam putrilaginem incendio ſuperſtitem exhibeat. In Scorbuto (ut plurimùm etiam ſine Febre) ſæpenumero tam effrænis eſt Sanguinis orgaſmus & calor efferus, ut cutis & vaſa ſanguinem torrentis inſtar ſponte nonnunquam effundant, non aliter quàm ex vena ſcalpello diviſa; quod in multis me vidiſſe poſſum verè affirmare: Sed notiſſima eſt hiſtoria D. *Thomæ Balman* Civis *Briſtolienſis*, quam etiam ego, dum adhuc recens eſſet, perſcripſi ad Excellentiſſimum D. D. *Theodo-*

rum Mayernum, Medicum Regium, tum in vivis. Huic per integrum biennium tam manifeſta fuit arteriarum cuti vicinarum pulſatio, motûs humorum inordinati index, ut cutis elevationem oculis è longinquo facilè perceptibilem exhiberet, adeóque Sanguinis æſtum incredibilem teſtaretur. Ex gingivis autem copioſè ac ferè continuò ſanguis ſtillabat: nec ex gingivis tantùm, ſed nonnunquam ex temporum, brachiorum, crurum & femorum venis, ſine phlebotomi opera, cum impetu erumpebat; quamvis interim ad motum ſanguinis compeſcendum, ejúſque fervorem cicurandum, multiplex phlebotomia, catharſis, alterantia, topica, & revulſionum omne genus adminiſtrarentur. Tandem *Auguſti* decimaquartâ anni 1654. ex gingiva dextra tantâ feroçiâ ſanguis erupit, ut nullo ingenio potuerit cohiberi donec ſyncope corriperetur, adeóque unius noctis æſtivæ ſpatio ſupra ſexaginta uncias excrevit; quam profuſam hæmorrhagiam confeſtim ſequutus eſt Hydrops,

drops, quo ſub hyemis initium obiit, Hîc inſignem fuiſſe Sanguinis fermentationem, inordinatum motum & immodicam efferveſcentiam non diffitebitur, ut arbitror, *Williſius*, nec tamen febricitabat; nam appetitu erat ut plurimùm laudabili, dormiebat, & munia domeſtica & forenſia ſemper erectus obibat, priuſquam incidit in Hydropem. Non negabit *Williſius* multos narium & hæmorrhoïdum fluxu è vivis ſublatos, non vi Febris, cujus ſunt omnino expertes, ſed ſpirituum & alimenti inopiâ; in quibus quid cauſabitur præter inemendabilem Sanguinis fervorem & acrimoniam? Fatebitur multas fœminas pertinace ac diuturno menſium profluvio confici ac tabeſcere; quod ſeroſæ ſanguinis acrimoniæ, fervori & motui inordinato, ni fallor, ferat acceptum. Ego hujus rei teſtes producere poſſum tum multas alias, tum præſertim Civis cujuſdam *Briſtolienſis* Conjugem, cui à multis annis ſanguis continuò ferè fluebat in magna copia, vel ab utero, vel ex naribus, vel

per

per utrumque ſimul locum, etiam dum utero gereret, donec frequente ſanguinis detractione ejus fervor fuiſſet extinctus ; nec tamen unquam febricitabat, nam curis domeſticis ſemper vacabat, & quotannis fœtus valentes & vegetos enitebatur. Sanguis ex brachio huic, ut & prædicto D. *Balman*, iteratò detractus putris ſemper & aduſtus apparebat ; quod in ſcabie, pſorâ, leprâ & pleriſque diuturnis cutaneis affectibus contingit, certo fermentationis & fervoris prægreſſi indicio, qui tamen rarò Febrim habent comitem : ut omnino certum ſit, Febris eſſentiam non in Sanguinis ſed partium dyſcraſiâ conſiſtere ; licèt æquè certum ſit Sanguinis dyſcraſiam partium temperiei evertendæ ſæpiſſime occaſionem præbere ; adeóque *Williſium* pro morbo, morbificam cauſam, eámque nec proximam nec perpetuam, adduxiſſe.

Ex alio item Capite vitioſa convincitur *Williſiana* Febris Definitio, quæ omnes Febris ſpecies non complectitur, Febrim ſc. hecticam, quæ non

non in Sanguinis fervore, aut motu inordinato, ſed in habituali partium ſolidarum dyſcraſiâ conſiſtit; quod etiam *Williſius* tacitè concedit, qui ejus non meminit dum Febris ſpecies ex triplice Fermentationis modo oriundas enumerat. Quàm autem vitioſum ſit Definitum ejúſque Definitionem non eſſe convertibilia, aut unum altero latiùs patere, potuit ex Logica meminiſſe.

Reſpondebitur fortaſſe pro *Williſio*, illum non accuratam Febris Definitionem, ſed ejus tantùm Deſcriptionem, Febris naturam utcumque exprimentem, tradere voluiſſe, eáque propter eum conſcium quàm imperfectè Febrim definiviſſet, eam Deſcriptionem, non Definitionem in tertio Capite nominâſſe, licèt in ejuſdem Capitis ſummario Febris Definitionem ſuerit pollicitus. Atqui profectò talem Deſcriptionem debuit exhibere, quæ partem ſaltem affectam explicaret, ſine cujus cognitione fruſtrà ſe Medicus ad curam accinxerit, in quam, ut finem primariò intentum,

intentum, collimare debet, nè Andabatarum more cæcis ictibus cum hoſte non agnito confligat. Præterea, cùm Veterum de Febre Doctrinam evertere, aliámque aſtruere apertè profiteatur, novæ certè Doctrinæ accuratam & omnibus numeris abſolutam ἀπόδειξιν, quæ abſque Definitione haberi non poteſt, proponere debuit; vel Veteris Doctrinæ aſſeclas *inſignis pervicaciæ*, quæque *viros prudentes & philoſophiam profeſſos minimè deceat*, non inſimulare.

Succorum Nervoſi & Nutritii Doctrina rejicitur, contra Williſium & Gliſſoniu m.

CAPUT III.

FErunt Philoſophorum quempiam, cùm ſacroſanctam Hebræi Legiſlatoris hiſtoriam de Mundi Creatione legerit, dixiſſe, *Hic vir multa dicit, ſed*

ſed nihil probat. Hoc impium Ethnici Philoſophi in ſacrum Legiſlatorem ſcomma non malè in *Williſium* quadare mihi videtur, qui Sanguinis facultatem αἱματοποιητικὴν, Succum nervoſum, nutritium, aliáque portenta in Medicinam invehere abſque ulla vel minima probationis umbra aggreditur, illíſque novæ quam parturit Medicinæ chimæricam ſuperſtruit fabricam. Hanc doctrinam videtur mutuâſſe à *Franciſco Gliſſonio*, publico *Cantabrigiæ* Profeſſore, & Collegii *Londinenſis* Socio; cui tamen in omnibus non aſſentitur, verùm diſſensûs rationem non explicat. *Gliſſonius*, Libri de anatomia Hepatis Cap. 45. *duplicem* ponit *Succum nutritium*, quorum alter *per lacteas thoracicas in ſubclaviam, indéque in venam cavam ſanguini confundendus, tandémque in parenchymatum ſanguineorum nutrimentum abſumendus pergat*; alter *per ſexti Paris ramum ſtomachicum ad Cerebrum & ſpinalem medullam, indè in partium ſpermaticarum nutrimentum*

trimentum derivandus feratur: cui uſui ut melius inſerviat, non oportuiſſe illum ſanguini miſceri aſperâ ejus & ſcabroſâ conditione imbuendum, ſed aliò divertere in mitiorem & ſuaviorem conſtitutionem convertendum. *Williſius* priorem *in ſanguinem mutari, cum eo circulari, in eo tamdiu manere dum veteraſcat, tandémque in partium nutrimentum abire & ſeponi* exiſtimat; ſed quas nutriat partes, ſanguineas an ſpermaticas, parùm penſi habere videtur: Poſterioris nullum uſum aſſignat, niſi ut *cerebrum & partes nervoſas irriget, & cum ſanguine circulandus per vaſa lymphatica in ſinum cruoris refundatur*; quo in motu ſi *pervertatur, Dolores, Convulſiones, Phrenitides, & reliqua nervoſi generis ſymptomata accerſere* contendit. Ubi inprimis advertendum, Succum hunc nutritium ſanguini è quotidiano pabulo advenientem à *Williſio* non *chylum*, ſed *chymum* paſſim appellari, nè ſc. non ſolùm veterem Medicinam peſſundediſſe, ſed & Græcos

terminos,

terminos, contra omnium Græcorum ſenſum, correxiſſe videretur. Sed fruſtrá: quamvis enim tum χυλὸς tum χυμὸς Succum quemlibet ſignificare poſſit; cùm tamen *Hippocrates* in mille locis per χυλὸν ſimpliciter Ptiſſanæ ſuccum expreſſum intelligat, factum eſt ut Græci ejus poſteri eundem ad lacteum ſuccum ex alimentis in ventriculo genitum, & ſucco ptiſſanæ ſimillimum, exprimendum eleganti metaphorâ tranſtulerint & reſtrinxerint; reliquos autem humores, tum corpori alendo idoneos, tum incommodos, τῷ χυμῷ vocabulo intelligendos reliquerint; quibus cur nomina ad libitum rebus imponere non licuerit, dicat, ſi poteſt, *Williſius*, ac præterea rationem reddat cur nutriendis partibus nullum concedit alimentum niſi veteraſcens & effœtum. Cui fini *Succum* illum *nervoſum* Sanguini miſcet & remiſcet? an non ab eo aſperitatem & ſcabritiem contraheret partibus nutriendis inidoneam, cui periculo avertendo *Gliſſonius* tantâ induſtriâ tam mirabilem excogitavit

tavit ſemitam? Vel ſi partes nutrire non debet, cur ejus alium non aſſignat uſum? Ideóne ſolùm à natura inſtitutus eſt iſte Succus, ut ſi quando in motu pervertatur, corpora noſtra vel dolore crucientur, vel ſpaſmo torqueantur, vel reliquis nervoſi generis nocumentis affligantur? Verùm dimiſſo parumper *Williſio*, in Succum hunc nervoſum paulò diligentiùs inquiramus,& cum aſſertore ejus *Gliſſonio* congrediamur.

Exiſtimat *Gliſſonius* pleraſque corporis humani partes, præſertim *ſpermaticas*, *Sanguine nutriri non poſſe*, quas cùm propter juge ſubſtantiæ diſpendium reſarciri oporteat, nullâque præter Succi nervoſi ad illas appulſum reſarciendi ratio appareat, indè eas refici ſit neceſſe. Cujus rationes quantum concludant, videamus.

Primò objicit, Omne nutritum nutrimento ſibi ſimili nutritur: At Sanguis non eſt ſimilis partibus ſpermaticis, Oculi ſplendidi ſunt, Sanguis opacus; imò illis nocet, ſiquidem oculi

oculi ſanguine ſuffuſi rerum omnium conſpectum amittunt, &, cùm ſit opacus, ſpeciebus viſibilibus recipiendis inhabiles redduntur: Cerebro item nimiâ ſanguinis copiâ inundato, rerum omnium ideæ in mente obliterantur.

Reſpondeo, Inter nutriendum & nutriens non actualem ſemper & omnimodam ſimilitudinem intercedere, ſed potentialem ſufficere, id eſt, talem quæ à facultatibus Nutrici inſervientibus in actum reduci poſſit: Nutrici autem præter alias inſerviunt Concoctrix & Expultrix. Concoctricis operâ qualitates minùs amicæ alterantur & familiares redduntur: Expultrix inutilia & concoctioni inepta ſecernit. Ità triticum, legumina, plantæ, licèt corpori noſtro colore, conſiſtentiâ, multiſque aliis qualitatibus diſſimilia, multiplici tamen præparatione & præviis alterationibus, nec non ſecretione noxiorum & inutilium, in alimentum corpori familiare & ſimile tandem faceſſunt. Ità Sanguis opacus, & opi

diverſi à ſpeciebus opticis coloris, multis tamen alterationibus in materiam iiſdem ſpiritibus generandis idoneam tranſit, omni opacitate depoſitâ: Si verò caſu, vel ipſius ſanguinis aut partis vitio, confertim & nimiâ copiâ vel ante præparationem debitam in oculorum tunicas vel nervos, aut in cerebri ventriculos irruat, eóſque obſtruat, quid mirum ſi in oculis cæcitatem, in cerebro phantaſmatum obliterationem producat?

Objicit ſecundò, Modum nutritionis eſſe progreſſum alimenti à cruditate ad coctionem, non è contrà: At Sanguinem partibus eſſe magis coctum; Quod probat, quia eſt calidior, ſpirituoſior, & volatilitati propinquior; partes autem fixæ minuſque ſpirituoſæ; Ergò minùs coctæ.

Reſpondeo negando Minorem. Ad cujus probationem dico, Concoctionem non in intenſiore gradu caloris, ſed rei concoquendæ magis debito ac idoneo conſiſtere, multáque à caloris

gradu

gradu majore ad remissiorem ejusdem gradum per ulteriorem coctionem procedere: ità allia, cæpe, nasturtium, & multa ejus generis, ut & vina potentiora, elixatione multos caloris gradus amittunt, quæ tamen minùs cocta nemo dixerit; ità aquæ ardentes ignitione mitescunt; ità sanguis, qui in arteriis calidior est ut sic, quàm ut proportionatum partibus alimentum præbeat, ulteriore concoctione, spirituumque & calidiorum exhalationum expiratione temperatus, iisdem nutriendis opportunus evadit; ità denique sanguis vi Febris accensus dicitur crudus, qui deinde à pepasmo defervescens & temperatior factus nihilo secius concoctus dicitur.

Objicit tertiò *Glissonius*, Sanguinis asperam & scabram substantiam partium solidarum, quæ mites sunt & lenes, nutritioni ineptam esse; sibique respondet, Sanguinem esse quiddam heterogeneum & constans diversæ naturæ partibus, quarum aliæ sint asperæ & volatilitati propinquiores, aliæ novitiæ, mites, & à

chyli natura minùs recedentes, ideóque partium ſpermaticarum ſubſtantiæ reſarciendæ magìs idoneæ. Quod Reſponſum à ſe profectum ferociter impugnat, & fingit adverſarium fateri ſuccum nutritium tantò eſſe præſtantiorem quantò magìs ad chyli naturam accedit, tacitéque ſolùm innuere, illum priùs debere ſanguini miſceri: tum ſubſumit, *Quorſum igitur cum ſanguine miſcetur*, quum per ejuſmodi mixtionem à chyli natura magìs recedat, ab eóque demum ſit ſeparandus, priuſquam alere poſſit? tum ludibundus interrogat, An credibile ſit *Naturam, nè otio torpeat, aliquid facere quod denuo infectum velit.*

Verùm enimvero Hydram quam ipſe finxeris levi negotio debellaveris; nam profectò nullus ſanæ mentis adverſarius aliquam ejuſmodi ſcabritiem in ſanguine conceſſerit, nec ſuccum nutritium eò eſſe præſtantiorem quò minùs à chyli natura receſſerit; imò reponet ſagacem Naturam conſultò ſucci in partium nutrimentum

trimentum abituri iter tot diverticulis & ambagibus in lactearum meſentericarum amfractuoſis Mæandris implicuiſſe, tam multiplicibus ſecerniculis, cùm privatis ſingulorum organorum, tum publicis univerſi corporis inſtruxiſſe, quò elaboratior, defæcatior, & à chyli natura remotior ad partes appelleret: fatebitur tamen maſſam Sanguinis, licèt ad ſenſum ſit quiddam homogeneum, reverâ tamen conſtare, & conſtare debuiſſe, diverſæ conditionis partibus, ut multiplicis naturæ organis commune præberet alimentum, unde ſingulæ partes quod ſibi magis eſſet proprium & familiare prolicere poſſint.

Objicit quartò, A ratione alienum eſſe, ut illud quod paſcitur in paſtum cedat illiſmet partibus quas devorat: Sanguinem autem partes devorare: Ergò illis in paſtum non cedere. Minorem probat, ex eo quòd Calor vitalis partes in diuturna fame devorat & abſumit: Calorem autem vitalem in ſanguine originaliter tamquam in ſubjecto hoſpitari: quic-

quid igitur Calori attribuitur, Sanguini attribuendum eſſe. Similiter in Febre partes abſumuntur, Sanguine non abſumpto, adeò ut bis, ter, vel etiam pluries phlebotomiam celebrari ſit neceſſe, licèt, potu excepto, æger nihil quo reficiatur admittat; ſigno manifeſto partium ſpoliis augeri Sanguinem.

Reſpondeo negando Minorem. Ad cujus probationem dico, Calorem vitalem (quo nomine calorem inſitum ſive innatum debet intelligere) non in Sanguine, ſed in partium ſolidarum humido primigenio tamquam ſubjecto inhærere; nec eum partes devorare poſſe, cùm ſit ipſarummet partium primigenia temperies. Partes autem devaſtantur non à Calore nativo vel Sanguine, ſed à Calore febrili in ipſis partibus accenſo: non ſolæ autem partes, ſed & Sanguis in Febre accenditur, ex qua febrili incaleſcentia Sanguis in naturam nutriendis partibus inidoneam tranſit, quapropter à partibus non attrahitur, nec fit inſignis ejus jactura: proin-

déque

déque atque etiam ratione plenitudinis in Febrium initiis pluries educi poſtulat, ut materiâ exhauſtâ incendium deflagret; in progreſſu autem Febris, tum ipſe Sanguis tum partium humiditas exhauriuntur, ut parùm alterutrius in moribundis ſuperſit. In fame verò diuturna nativus Calor expirat, propter defectum pabuli abſumpto partium humido primigenio, cujus humiditatis diſpendia à Sanguine reſarciuntur, quamdiu aliquid pinguis & oleoſæ ſubſtantiæ ſuperſtes habet. Quæ inſuper addit de Sanguine helluone, de eodem comedone & cibo, prædatore & præda, de agni & lupi parabola, reſponſum non merentur.

Objicit quintò, Partium alimentum debet eſſe ſimile ſubſtantiæ ex qua ab initio conſtiterunt, iiſdem enim nutrimur quibus & conſtamus, nec ex quolibet ligno fit Mercurius: At ejuſmodi ſubſtantia non eſt Sanguis, ſed ſuccus liquidus à ſanguine multùm diverſus tum colore tum conſiſtentiâ, aliiſque præterea qualitatibus,

bus, nempe Semen in Viviparis, eíque analogum Albumen in Ovis.

Jam reſponſum eſt, actualem ſimilitudinem non requiri inter nutriendum & nutriens, ſed ſufficere potentialem, proindéque Sanguinem, licèt materiæ ſeminali ex qua fœtus in utero formatur colore & conſiſtentiâ diſſimilem, ſi tamen ulteriore ſubactione & inutilium ſecretione, ſimilis evadat, fœtui inpoſterum nutriendo idoneum fieri: nec propterea ex quolibet ligno Mercurium conflari aſſerimus, dum ſimilitudinem potentialem quidem, non tamen valde remotam, ſufficere concedimus.

Ad Comparationem inter Ovum & Embryonem dico, In ovo concrementum album ſive albumen reſpondere materiæ ſpermaticæ in embryone, & ovi vitellum ſanguini materno: eâdémque ratione quâ ſanguis maternus in fœtu virtutis plaſticæ operâ ex diſſimili ſimilis fit, & in partium ſeminalium nutrimentum pariter & incrementum convertitur, útque albumen ovi in partium ſeminalium

Alitis

Alitis alimentum & incrementum tranſit; ità in avicula excluſa & fœtu adulto alimenta communia primò in ſanguinem, mox etiam in materiam ſemini & ſeminalibus partibus analogam virtutis concoctricis operâ elaborari: nec tantam eſſe diſſimilitudinem inter ſemen & ſanguinem quantam imaginatur *Gliſſonius*, qui externæ ſimilitudini, colori ſcil. & conſiſtentiæ, nimis fortè attentus, internæ ſimilitudinis in qualitatibus ſymbolis & multiplicium in ſingulis coctionum officinis alterationum non meminit.

Objicit ſextò, Membra reſoluta in paralyſi marceſcere & atrophiâ laborare, non propter defectum Sanguinis, cujus abundè ſit in corpore, nullâque ſit venarum aut arteriarum obſtructio; imò primis diebus propter nimiam ſanguinis affluentiam pars laborans tumeſcit: Ergò atrophia contingit defectu ſucci nervoſi propter nervorum obſtructionem. Quo argumento ſimiliter probat nervos eſſe vaſa ſuccum aliquem deferen-

tia,

tia, licèt non videatur in illis manifeſta cavitas.

Hoc argumentum omnino difficultate non caret. *Riverius* cum Practicantium vulgo ait id contingere, quia propter ſpirituum animalium interceptionem calor nativus languet & effœtus evadit: quam rationem veram eſſe conficit ſpadonum marcor poſt teſtes exectos, qui cùm toti ſit corpori communis, non penuriæ nutrimenti, quod nullum à teſtibus toti miniſtratur, ſed ſpirituum animalium defectui attribui poteſt, qui abundanter à teſtibus in totum derivantur. Verùm aliter & nervoſè ex acutiſſimo *Cæſalpino* 2 Quæſt. Medicar. Cap. 13. reſponderi poteſt, id contingere propter amiſſum ſenſum tactûs in parte marceſcente: Cùm enim nutritio non fiat niſi concurrat attractio alimenti & expulſio recrementorum, neutrum autem citra ſenſum tactûs fieri poſſit; Natura enim non attraheret, niſi alimentum familiare eſſe ſentiret, neque aliena expelleret, niſi ab illis irritaretur; manifeſtum

niſeſtum eſt partes debere marceſcere, ſi nervi ſenſum tactûs deferentes obſtruantur. Unde, referente eodem *Cæſalpino*, concludit *Ariſtoteles*, 3. de Anima, text. 67. neceſſarium eſſe animalia ſolo ſenſu tactûs privata mori: atque hinc eſt quòd provida Natura viſcerum parenchymata & carnem innumeris nervorum ſurculis inſtruxit, quum tamen motûs & ſenſûs non ſint organa, tum ut alimentum attraherent, tum ut nocitura expellerent. Quod de tumore partium reſolutarum in paralyſi incipiente aſſerit, non Sanguinis, ſed Seri vel Pituitæ à Cerebro deſcendentis acceſſum probat.

Objicit ſeptimò, Emplaſtra cephalica calida & ſicca in Phthiſi convenire, non ſolùm quia fluxiones ſiſtunt, ſed quia nutritionem promovent: quod tamen gratis & ſine fundamento aſſerit, niſi intelligat Cerebrum ab illis exiccatum meliùs concoquere, & minorem Excrementorum proventum facere; quod quidem verum eſt, ſed tamen ad quæſtionem non facit.

Objicit

Objicit octavò, Macilentos ſanguine abundare, nervis autem præditos humidis, apertis & ſpongioſis facilè pingueſcere. Solutio facilis eſt, Macilentos ſanguine abundare fervidiore, ideóque continuis vaporum effluviis eſſe obnoxios: contrà, carne ſpongioſâ & flaccidâ præditos ab immoderatis effluviis eſſe immunes, quia frigidiores, unde corpus in molem attollitur. Præterea Cerebri ſunt frigidioris & multa excrementa cumulantis; unde flacceſcunt, & ſpongioſi ac tumidi evadunt; quo habitu præditi molles ſunt, inertes, & exercitii impatientes: quod à laudabilis nutrimenti copia proficiſci non eſt probabile.

Objicit nonò, Roſcidum humorem ex nervoſarum partium vulneribus extillare, ex oſſium fracturis viſcoſum humorem exudare, ruptis oſſibus ferruminandis utilem; qui, cùm ſint ſeminali materiæ analogi, per venas aut arterias deferri non poſſunt: veriſimile igitur eſſe illos per nervos depluere. Præterea, in ſcrophuloſis

phuloſis tumoribus materiam candicantem conſpici, & nonnunquam veluti ova membranoſo involucro incluſa, quæ ad formationem quandam animalis, licèt imperfectam, tendunt, imò in vermiculum aut aliud monſtri genus deſinunt; quæ non à Sanguine, ſed ab alia quapiam mitiore & ſuaviore materia proficiſci poſſe *Gliſſonius* exiſtimat. Denique, carneas excreſcentias in fonticulorum labris & dentium cavis luxuriantes à Sanguine proficiſci non autumat *Gliſſonius*, cùm ſenſus ſint exquiſitiſſimi; propterea que vel à nervis oriri, vel illis multum eſſe cum nervis commercii.

Reſp. Omnia illa proficiſci à Sanguine per arterias vel venas ad partes affectas delato, ſed à Sanguine vitioſo & partes vitiante, quæ partes debilitatæ aſſimilationem imperfectam faciunt, aliquo tamen modo partium ipſarum ſubſtantiæ analogam. Non enim negamus, imò hoc eſt quod concedimus, Sanguinem etiam in materiam ſeminalem, imò in ſemen converti,

verti, si ad organum semini conficiendo destinatum appellat. Quod autem ex partium nervosarum vulneribus extillat roscidum, vel ex ossium fracturis exudat viscosum, ipsum est partium alimentum semicoctum quod effluit retentricis vitio à vulnere vel fractura debilitatæ, & alimentum ad justum perfectæ assimilationis tempus retinere nequeuntis. Quod candicans in scrophulis observatur, Sanguis est pituitosus in cerebro, vel ejus membranis hæreditariâ à semine vel ascititiâ idiosyncrasiâ malè constitutis, in materiam crassam & malignè putridam, sed partibus unde emanat quadantenus similem, conversus; quæ materia per venas, arterias, ossium & periosteorum interstitia, carnis poros, imò, si lubet, & nervos delata, partis in quam decumbit indole in eum cujus est capax maturationis gradum perductâ, in massam albumineam, vel carneam, vel vermiculum convertitur: Natura enim ex putri materia tum in corpore humano, tum etiam alibi; libentiùs animal

quàm

quàm quodcumque inanimum, utpote præſtantius, producit. Hi tamen ſucci, quamvis candidi & materiæ ſeminali non abſimiles, non video cur à *Gliſſonio* mites vocitentur, cùm carnem exulcerent, oſſáque ipſa corrumpant & putrilagine mortificent: Nec cur carneas excreſcentias in vulneribus partium nervoſarum, in ſonticulorum labris dentiúmque cavis ſucco ſeminali per nervos delato aſcribat, cùm carnea parenchymata, & univerſim quamcumque carnem, ſanguinis eſſe affuſiones coagulatas paulò antea conceſſerit: in quibus quid mirum eſt ſi ſenſus ſit exquiſitus, cùm in carne legitima plurimi ſint ubique nervorum furculi; in excreſcentiis etiam eorundem nervorum productiones reperiantur? Tandem quamvis libenter concedamus humores peccantes præter Naturæ inſtitutum in nervos quandoque irrumpere; indè tamen concluſum nolumus Naturam providam, quæ aliis omnibus ſuccis conſpicuos & patentes ductus largita eſt,

tam

tam nobili ac tanti momenti ſucco, qualis eſt nutritius, quique tam copioſus eſſe debet, ut indè omnium corporis partium diſpendium refundi poſſit, cæcos tantùm & inaſpectabiles meatus deſtinâſſe.

Nutritionis inæqualitatem in Rachitide (ità Morbum puerilem *Angliæ* familiarem appellat) non, ut *Gliſſonius*, in nervorum quorundam ad nutritionem præ aliis ineptitudine, ſed in earundem obſtructione collocamus, cujus merito partibus quibuſdam marcor ſupervenit propter ablatum tactûs ſenſum, ſine quo nec alimentum attrahere, nec recrementa expellere, propterea que nec nutriri poſſunt, ut in Argumenti ſexti ſolutione dictum eſt. An verò (ut ait *Gliſſonius*) Rachitidis ſedes ſit in medulla ſpinali, quæſtio eſt alterius loci.

Quod ultimò dicit, parùm aut nihil ſanguinis ad teſtes tranſmitti, eſt contra *αὐτοψίαν*, quum copioſæ arteriæ & venæ eò ferantur: imò & experientiam, quum compertum ſit

ſala-

ſalaciores & nimiâ Venere utentes, poſt exhauſtum ſemen, ſanguinem in coitu ejaculatos fuiſſe. Multò tamen plures nervos eò ferri fatemur, non ut nutrimentum, ſed ut uberem ſpirituum animalium copiam illis impertiantur, quorum nimiam profuſionem ſequitur mœſtitia à coitu, & Cerebri debilitas, intemperiéſque frigida totius.

An Sanguis ſanguificet: contra Harvæum.

CAPUT IV.

JAM Succi nervoſi figmento ſatis, ut arbitror, diſcuſſo, ad *Williſium* denuo revertamur, & ſciſcitemur cur hæmatoſeos munus ipſi Sanguini attribuat. Verùm ille, ut video, pleraque quæ obtrudit paradoxa ſupponere mavult quàm probare; quæ nobis eâdem quâ obtruduntur facilitate liceret rejicere, niſi *Guilielmi*

Harvæi obſtaret authoritas, in qua plerique veteris Medicinæ demolitores ἀνεξετάςως καὶ ἀβασανίςως acquieſcunt: Cujus idcirco mirabilem de Sanguine Diſcurſum cum noſtris in illum animadverſionibus hîc exhibere operæ pretium exiſtimo, ut quid nudæ illius aſſertioni tribuendum ſit, æquus Lector judicet. Ipſum audiamus.

* *Edit. Amſtelredamenſ.*

Harvæus de Gener. anim. Exerc. 51. p. * 202. *Si Sanguis ſecundùm totam ejus ſubſtantiam, prout in Venis ſe habet, conſideretur, nil vetat quò minùs alimentum in ſe convertere & concoquere, partibúſque apponere dicamus; eandémque rem ità ſumptam tum alere tum ali, tum materiam etiam corporis & efficientem cauſam eſſe.*

Animadverſio. Quomodocumque Sanguis conſideretur, quum non ſit pars Corporis organica, chylum certè nec poterit concoquere, nec in ſanguinem convertere, proindéque nec ſibi aſſimilare: non enim poteſt fieri laudabilis chyli concoctio citra impuritatum quæ in eo plurimæ inſunt excluſionem,

onem, quod Sanguis neutiquam efficere poteſt, quum vaſis huic muneri peculiariter deſtinatis ſit deſtitutus: recrementa autem à chylo in ſanguificatione ſecernenda ſunt, Bilis & Melancholia, quibus alliciendis & expellendis ex Naturæ inſtituto inſerviunt Veſica fellea & Lien, quæ, cùm nihil agat fruſtrà, organa tanti momenti non conſtruxiſſet, ſi id muneris à Sanguine ipſo fieri potuiſſet. Si dicatur chyli impuritates poſt aliquot inter circulandum circuitus in Veſiculam felleam Lienémque deponi: Ego repono, contra Naturæ providentiam eſſe, chyli impuritatibus ſanguinem in ſpiritus vitales & animales iterum inquinare, quas in promptu ſit eliminare priuſquam in cordis thalamos ferantur.

Sed nec Sanguis alimentum partibus apponere poteſt: nam quum chylus ab *Harvæo* ſupponatur ſanguini aſſimilari priuſquam partibus apponi poſſit, ac ſanguis genitus ejuſdem ſit rationis cum eo qui genuit, cúmque illo confuſus, tum vel una pars aliam apponet, vel una quæque ſeipſam, quorum neu-

trum dici poteſt. Non primum; quia non eſt major ratio cur illa hanc, quàm hæc illam apponat. Non ſecundum; quia cùm nutrimentum in nutriti ſubſtantiam tranſire debeat, ídque fieri non poſſit ſine ſubſtantiali nutrimenti mutatione & formæ ejus corruptione, non poteſt fieri ut ulla pars ſanguinis ſeipſam partibus nutriendis apponat, quum nihil ſui ipſius interitum appetat vel cauſet. Præterea, ſi in partium nutritione & alimenti appoſitione Sanguis haberet rationem agentis, proculdubio partes potiùs aſſimilarentur ſanguini quàm ſanguis partibus, quum quodlibet agens naturale qualitates ſuas in patiente producere, ídque ſibi quantum poteſt ſimile efficere, ſoleat.

Concedimus quidem ſanguinem corpus nutrire: id tamen intelligendum non eſt activè & efficienter, ſed paſſivè & materialiter, quatenus paſſivam habet aptitudinem, ac diſpoſitiones partium temperamento ſymbolas, quarum ratione, ſed ipſarum partium nutriendarum virtute, apponi-

tur

tur & assimilatur. Quòd verò eadem Causa ejusdem Effectûs possit esse Materia & Efficiens, in Philosophia hactenus inauditum est.

Harvæus, in eadem Exercit. 51. p. 197. *Neque hîc disputandum censeo, utrùm partis Definitio Sanguini propriè conveniat.*

Animadversio. Ad quid ergò duas Exercitationes prolixas contexuit, ut probaret Sanguinem non solùm esse partem corporis, sed primogenitam & principalem? aut ubi hanc controversiam magis appositè tractandam censet? Sanguinem autem non esse partem propriè dictam, constat ex Partis Definitione ab omnibus Medicis recepta, quum non sit pars toti cohærens; quam Definitionem vel admittere debet *Harvæus*, vel meliorem saltem assignare; quod nondum aggressus est.

Harvæus, Exerc. eâdem, p. 195. *Quinimmo ex vario ipsius (sanguinis) motu in celeritate aut tarditate, vehementiâ aut debilitate, &c. eum & irritantis injuriam & fo-*

ventis commodum perſentiſcere manifeſtum eſt; ideóque concludimus Sanguinem per ſe vivere & nutriri, nulloque modo ab alia aliqua corporis parte priore vel præſtantiore pendere.

Animadverſio. Sanguis ad quamlibet corporis partem injuriâ aliquâ graviore laceſſitam accurrit, non propriâ vi, ſed facultatis corpus regentis imperio, ſpiritu vitali impellente, & ſeroſo humore vehente; ut illato vulnere ad partes læſas, in paroxyſmo febrili ad viſcera & Cor acribus aut venenatis humoribus ſtimulata, in paſſionibus Animi ad facultatis iraſcibilis & concupiſcibilis ſedes: unde bene ſequitur Corpus ſentire & vivere, non autem Sanguinem: in paſſionibus enim Animi in quibus ſanguinis accurſus & recurſus maximè eſt conſpicuus, quid commodi aut incommodi ſanguinem ſentire credibile eſt? Ad voluntatis item imperium hoſti vel occurrentis, vel eundem fugientis, ſi moveatur, motum ſibi intrinſecum non arguit; ſicuti nec quando à calore attrahitur, vel frigus aut aliam quamlibet qualitatem

tatem moleſtam retrocedendo fugit: quod provenit à pugna contrariarum qualitatum, vel amicarum proſecutione; quorum exempla in inanimis ſunt obvia; ut in fuga plumbi ex fuſione candentis à frigidâ, in antiperiſtaſi, fermentatione, antipathiâ & ſympathiâ; ut in magnete ferrum, heliotropio Solem ſequente, quæ tamen ideo movere vel ſentire non dicuntur. Malè igitur *Harvæus* motum animalem cum naturali & violento confundit.

Sanguinem item, cùm à ſe non poſſit generari, ſemper autem generetur, ab aliqua certè corporis parte in generatione pendere manifeſtum eſt, partémque unde ità dependet illo eſſe priorem. Nec obſtat quòd, ut ait *Harvæus, in pulli fabrica ante reliquum corpus ſanguis exiſtere videatur*; (quod damus, non concedimus, quum, ipſo *Harvæo* teſte, Exercit. 55, *veſicula pulſans ſeu macula alba, cum quibuſdam circulis albis*, quæ proculdubio ſunt partium lineamenta, *ante punctum rubrum appareat*) nam

non ſolùm ſanguis iſte, ſed & reliquæ partes in ovo ex albumine & vitello, in fœtu viviparo ex parentum ſemine formantur, à plaſtica facultate vel vi formatrice, quæcumque tandem illa ſit, ſive matris anima, ſive ipſius fœtûs, ſeu facultas uteri, ſeu vis plaſtica ipſius ſeminis. Nulla autem pulli aut fœtûs pars aliam ex compartibus efficit. At in formato jam & edito fœtu, quum partes à Cunis ad extremum uſque ſpiritum, imò longè pòſt, exiſtant, & nunquam iterum generentur, ſed tantùm nutriantur, (ſi dentes exceperis) ſanguis verò in perpetuo fluxu ſit, & identidem in partium alimentum faceſſat, ac perpetuâ generatione opus habeat, nec à ſeipſo, ut dictum eſt, poſſit generari; reſtat ut ab aliqua partium generetur, & ab illa dependeat.

Harvæus ibidem, p. 190. *An verò totum corpus ab illo (Sanguine) pendeat, cui illud pòſt genitum, adjunctum & quaſi adnaſcendo appenſum cernimus, non eſt hujus loci determinare.* *Ani-*

Animadverſio. Mirabilis profectò Conjectura, cujus elucidationem, utpote arduam & difficilem, ſatis ridiculè in alium locum rejicit *Harvæus*: ſcilicet Hominis, animalium nobiliſſimi, hujuſque Univerſi poſt Omnipotentem Deum Principis ac Domini, ſtupendam fabricam non niſi fortuitò conditam, & Sanguini velut adnaſcendo appenſam. Equidem Sanguis in ipſo corpore generatur, omnes ejus canales, poros & ſpiracula permeat; illi intimè & ſecundùm omnes ferè dimenſiones immiſcetur, & in ſubſtantiam ejus convertitur: quomodo igitur Sanguini adnaſcendo appenditur?

Harvæus, Exerc. 50. p. 190. *Et quoniam veſicula pulſans, indéque deductæ fibræ ſanguineæ, ante alia conſpiciuntur, crediderim rationi conſentaneum eſſe, ut Sanguis receptaculis ſuis prior ſit; Contentum ſcil. ſuo Continente.*

Animadverſio. Quum triplex ſit apud Philoſophos Prioritatis acceptio, ſc. Temporis, Naturæ, & Dignitatis; hîc prioritatem Temporis debet intel-

intelligere *Harvæus*, qui contendit ſanguinem ante reliquas partes exiſtere, eáſque fabricare. At quum continens & contentum ſint correlata; relata autem ſint ſimul tempore, ut ex Logica potuit meminiſſe *Harvæus*; fateri debet ſanguinem vaſis continentibus non eſſe priorem tempore. Præterea, ut antè notavimus, *Harvæus* Exerc. 15. conceſſit *Veſiculam pulſantem ſeu maculam albam cum quibuſdam circulis albis ante ſanguinem exiſtere.* Veſicula autem iſta pulſans proculdubio Cordis eſt rudimentum; Circuli albi ſunt Venæ & Arteriæ: Cor autem, Venæ & Arteriæ Sanguinem factum continent: Ergò Sanguis extra relativi notionem conſideratus tempore poſterior eſt ſuis receptaculis. Quòd autem omnes corporis partes Naturâ priores ſint Sanguine, indè patet, quia Finis Sanguinis eſt nutritio partium: naturâ autem prius eſt partes eſſe quàm nutriri. Item quum Sanguis nutriendarum partium cauſâ ſit factus, ſuámque naturam debeat exuere, ut partium naturam

turam induat, ſequitur Sanguinem eſſe partibus Dignitate poſteriorem, ut & ſingulæ partes dignitate ſunt poſteriores compoſito cujus gratiâ factæ ſunt, quum Finis ſit Mediis præſtantior. Tandem fruſtrà Sanguinem ante ſua receptacula produxiſſet Natura, quia cùm ſit conſiſtentiâ liquidus, proprios non habet terminos quibus ab effuſione conſervetur.

Harvæus, Exerc. 50. p. 192. *Crebrâ enim, ut dixi, vivorum diſſectione expertus ſum, moriente jam animali, nec ampliùs ſpirante, Cor tamen aliquamdiu ſpirare, vitámque in ſe retinere: quieſcente autem corde motum videas in auriculis ſuperſtitem, ac poſtremò in auricula dextra; ibíque tandem ceſſante omni pulſatione, in ipſo Sanguine undulationem quandam & obſcuram trepidationem, extremum vitæ inditium reperias; & cuilibet cernere eſt ſanguinem ultimò in ſe pulſûs vitæque authorem retinere.*

Animadverſio. Solent obſeſſarum Urbium propugnatores ſubterraneos hoſtium cuniculos pelvibus aquâ ple-

nis in terræ ſuperficie diſpoſitis explorare: Similiter Medici vaſcula aquâ plena ægrorum ſyncope laborantium pectoribus applicant, ſumpto ab aquæ undulatione hîc vitæ, ibi cuniculi indicio. Quid hîc *Harvæus*? Iſtámne undulationem inteſtino cuipiam calori aut vitalitati in aqua latitanti aſcribet? aquámne ſuopte ingenio moveri contendet immoto vaſculo? an non potiùs concedet aquam moveri ad vaſis motum, licèt inconſpicuum? Cur igitur idem in moribundo corde contingere neget? ſi ejuſmodi motûs & pulſûs redintegratio non cordis ſed ſanguinis opus eſt, cur idem ſanguini in venis à corde remotis non contingit? An non meminit *Harvæus* Doctrinæ à ſe ſtabilitæ in Libro de Motu Cordis & Circulatione Sanguinis, ubi Sanguinis in extremis refrigerationem præcipuum conſtituit circulatoriæ neceſſitatis fundamentum, quam ideo perenni circulationis motu identidem ad Cor revehi contendit, ut ibi novo caloris ſupplemento imbuatur?

Har-

Harvæus, Exerc. 70. *Sanguinem* ait *corpus aliud divinius participare, ac ſupra Elementorum vires agere, & eſſe Elemento Stellarum analogum.* Sed operæ pretium eſt audire quid per [*ſupra Elementorum vires agere*] intelligat. *Qui igitur* (inquit, p. 321.) *rem nullam ex Elementis compoſitam ſupra illorum vires agere poſſe autumat, niſi corpus aliud, idque divinius, participet, næ illi rationes ſuas malè ſubduxiſſe mihi videntur. Quippe vix ullum corpus elementare invenias, quod in agendo vires proprias non ſuperet. Nè longè quæram quod ubique obvium eſt, Aër & Aqua, dum navigia ad extremos* Indos *& circumcirca Orbem terrarum, ſæpéque ſimul in contrarias partes, deferunt, cùm molunt, pinſunt, cribrant, puteos exhauriunt, ligna ſecant, ignem ſuſcitant, quædam vehunt, alia obruunt, &c. an non corpus aliud præter Elementa, idque divinius, participare videntur?*

Animadverſio. Hîc, Candide Lector, Magni illius Philoſophi ac Medici

dici quidlibet ex quolibet deducentis nervoſum ratiocinium attentè conſidera & mirare. Aërem dicit agere ſupra ſuas vires, quia navigia circa orbem terrarum & in contrarias ſimul partes defert. Sed ut omittam non Aërem, ſed Ventum id præſtare; quid aliud præſtat navigiis Ventus quàm impulſum? quem ſupra ejus vires eſſe quis, præter *Harvæum*, dixerit? Quòd autem in contrarias partes id agat, hoc diverſæ velorum & reliqui apparatûs nautici applicationi tribuendum eſt. Aqua omnia ſe graviora obruit, niſi cava vel poroſa ſint, ideóque aërem includant; ſe verò leviora vehit, multáque alia efficit ſecundùm machinarum diverſimodè applicatarum varietatem; quæ tamen uni ejus gravitati & impetuoſo curſui propter humiditatem propriis terminis incoërcibilem accepta referri debent: & quid hîc myſterii eſt, quid occultum aut intellectu arduum, ut corpus aliud divinius cœlo ſit deducendum?

Harvæus, Exerc. 51. p. 202. *Sanguinem* ait *eandem naturaliter conſti-*

tutionem

tutionem habere quam Aristoteles *in parte primogenita necessariam censuit, nempe ut sit partim similaris, partim dissimilaris constitutionis*; ità enim *Aristotelem* loquentem introducit, sed locum non assignat: *Et quum vis movendi & vis sentiendi in eodem membro* (scil. primario) *continentur, fit necessarium ut membrum quod primum principia ejusmodi tenet, & simplex existat, ut omnium sensibilium sit capax, & dissimilare, ut moveat & agat.* Et non multò pòst addit *Harvæus*, p. 203. *Sanguini verò ut primùm conspicitur, & vesiculâ comprehensus pulsat, constitutio illa quam* Aristoteles *parti principi necessariam judicavit, manifestè inest: quippe Sanguis dum in corpore naturaliter se habet, similaris ubique constitutionis apparet; quamprimùm autem extravasatur, calorémque naturalem exuit, protinus seu dissimilare quiddam in diversas partes abit.*

Animadversio. Sanguis igitur ex *Harvæo* (qui, renitente *Aristotele*, ut ipse fatetur, id muneris Cordi abripit) simi-

ſimilaris eſt, ut omnium ſenſibilium ſit capax, diſſimilaris, ut moveat & agat. Ergò ſi Sanguis in venis eſt ſimilaris, extra venas diſſimilaris, in venis erit ſenſûs author, extra venas motûs: At quum extra venas corrumpatur & calorem nativum exuat, nec priùs ſit diſſimilaris quàm extravaſetur, ſequetur ſanguinem tum ſolùm motûs authorem eſſe quum corrumpitur & calorem nativum exuit.

Nec ſufficit dicere diſſimilaritatem actualem non requiri, ſed potentialem ſeu ad ſenſum dictam ſufficere ad hoc ut aliqua pars ſtatuatur motûs organum: nam licèt ad ſenſum, qui in paſſione conſiſtit, ſufficere poſſit conſtitutio ſimilaris; tamen ad motum animalem, qui conſiſtit in actione, requiritur organum partium actu diverſarum, quum omne illud quod ſeipſum movet, debeat eſſe diviſibile in partem per ſe moventem & partem per ſe motam: at hoc de Sanguine dici non poteſt, cùm non ſit actu diſſimilaris; partes autem quibus potentiâ conſtare ſupponitur confuſæ ſint & indiſtinctæ

distinctæ ac informes, quod etiam est contra rationem organi determinatam conformationem & figuram requirentis. Et hoc videtur sentire *Aristoteles* ab *Harveo* citatus, qui instantiam facit in Corde, quod reverâ & ad sensum constat partibus diversi generis, proindéque motûs esse principium potest; ratione autem alicujus partium similarium ex quibus componitur, potest esse principium sensûs, qui in passione consistit: At propterea similare dici neutiquam potest; similare enim & dissimilare sunt contradictoria, quum unum includat alterius negationem, & è contrà; similare verò & organicum minimè, cùm ad rationem organi simpliciter sufficiat ut pars habeat figuram certam & conformationem, verbi gratiâ nervus, qui facultatem sensibilem & motricem defert, se tamen non potest movere nisi appellat ad musculum.

Harveus, Exercit. 70. *Sanguis quoque supravires Elementorum agit, cùm jam pars primogenita, & calor innatus existens, ut fit in semine &*

ſpiritu, reliquas totius corporis partes ordine fabricat, &c.

Animadverſio. Quo jure *Harvæus* paulò pòſt in eadem Exercitatione Sanguinem ait eſſe hominis Animam, eodem jam, ſed minore impietate, Calorem nativum appellat; de quo ſtatim erit dicendi locus : interim fateri debet, Sanguinem in pulli generatione ex ovo ab agente aliquo à ſe diverſo fabricari, quum nihil ſeipſum generare poſſit. Quid igitur impedit quò minùs illud ipſum agens etiam reliquas partes fabricet ? aut quo argumento inducitur *Harvæus* ut id muneris ſoli Sanguini vendicet ? Quid ſunt Veſicula illa pulſans, & macula alba, & circuli albi tamquam circino ducti qui punctum album pro centro habent ? nonne eſt veriſimile partium ſolidarum eſſe rudimenta ? quod etiam agnoſcit *Harvæus*, Exerc. 215. p. 60. A quo agente producta ſunt ? Non à Sanguine, cùm Sanguis ipſe nondum exiſtat, ut fatetur *Harvæus* in inſpectione ovi ſecundo incubatûs die, Exerc. 14. p. 58. eúmque quar-

to

to tandem die ſive tertio inſpectionis lineâ exili purpuraſcente rutilantem accedere teſtatur. Ergò ab aliquo alio. Ergò Sanguis omnes partes ordine non fabricat. Multa alia his non abſimilia nec minùs abſurda congerit *Harvæus*, réſque & functiones longè disjunctiſſimas confundit & invertit; quæ omnia minutim proſequi noſtrum non eſt conſilium. Exerc. 16. p. 62.

Ejuſdem Controverſiæ Proſecutio; contra Gliſſonium.

CAPUT V.

SAnguinis facultatem ſanguificam, quam *Harvæus* nudo propriæ authoritatis ſulcimento munitam exhibuit, *Gliſſonius* etiam ratione ſtabiliendam ſuſcipit, Lib. de Anat. Hep. Cap. 35. Sanguinem tamen conſiderat non nudum, ſed vitalem, qui ſcil. vitalem ſpiritum in ſe continet, adeóque ſive Spiritum ſive Sanguinem dicat,

perinde eſſe, próque ſynonymis habenda aſſerit.

Porrò ſupponit *ſpiritum quendam ſive liquorem vitalem in prima ſeminali materia, unde pullus in ovo & fœtus in utero formatur, hoſpitantem, ipſiſſimum eſſe Sanguinem, ruborem tamen nondum adeptum, qui ſe à reliquis partibus, quibus promiſcuè commiſcetur, ſegregat, & in rivulos quoſdam excurrit.* Hoſce aſſerit *in unum punctum (Cor poſtea dictum) coire: ex hoc rivulorum confluxu exurgere tantam liquoris vitalis ſtagnationem, ut loci angustiâ nequeat contineri: cúmque propter affluentes novos à tergo gurgites eodem quo acceſſit itinere non poſſit remeare, alio viam pertundi, novóſque canales fabricari neceſſe ſit; unde contingere circumgyrationem, ductúſque priores in venas, poſteriores in arterias abire. Interea liquorem hunc vitalem, accedente ex incubatu novi calaris incrementa, in ſanguinem rubeſieri, caloris enim ac motûs exceſſum compluribus rebus ruborem conciliare: atque ejuſmodi*

modi liquorem vitalem hoc modo in ſanguinem rubefactum, hæmatoſeos deinceps in fœtu formato & adulto authorem conſtituit. Ità præſidenter philoſophatur *Gliſſonius*, non aliter quàm ſi, ut *Actæon Dianam*, Naturam nudam & ſine veſte conſpexiſſet.

Verùm enimvero quàm vana ſint hæc ſomnia, haud arduum eſt oſtendere ex partium fœtûs formationi inſervientium ſtructura, nullúmque ejuſmodi ſpiritum aut liquorem vitalem in materia ſeminali præexiſtentem in ſanguinem abire, ſed partium fœtûs ſolidarum lineamenta ex materia ſeminali fieri, nutrimentum autem & vivacitatem illis ex utero materno per vaſa umbilicalia accedere per ſanguinem & ſpiritus indè delato. Cujus rei argumentum evidens illud eſt, quòd vaſa umbilicalia in fœtu nondum excluſo perforata ſint & pertuſa, ſigno manifeſto Naturam, quæ nihil fruſtrà molitur, alicujus liquoris per illos canales acceſſum deſtinâſſe, qui nullus alius eſſe poteſt quàm ſanguis

maternus : in fœtu autem excluſo & adulto impervia ſint & ſolida, & ex vaſis in ſuſpenſoria Veſicæ & Hepati ſtabiliendis deſtinata degenerent, uſu ſcil. cui antea inſerviebant ceſſante. Unde neceſſariò conficitur, primum ſanguinem in fœtu inter formandum conſpicuum non generari vel in fœtu ipſo, vel ab aliqua ejus parte, ſed aliunde in fœtûs nutrimentum & augmentum ſuppeditari.

Quod ulteriùs confirmatur, quia in Ovo, ex cujus hiſtoria *Harvæus* & poſt illum *Gliſſonius* tot paradoxa deducunt, non in ejus centro, ſed in limbo exteriore, ut habet *Harvæus*, vel chorio membrana, ut *Gliſſonius*, primus ſanguis lineâ exili purpuraſcente comprehenſus conſpiciatur, ab extrà ſcilicet ad fœtum adveniens per vaſa umbilicalia, ad pullum verò ex vitello facultatis plaſticæ virtute in ſanguinem elaborato, ſicut ex albumine (ſi *Harvæo* credimus) pullus ipſe formatur. Hinc apparet non eandem debere eſſe fœtûs nondum formati aut abſoluti, ejuſdémque jam excluſi

cluſi & adulti conſiderationem, actionéſque naturales juxtà ac vitales, quæ à partibus imperfectis ac tantùm in fieri conſtitutis non poſſunt produci, ideóque neceſſe ſit illas ab alio produci, (ſive illud aliud ſit uteri aut ſeminis vis plaſtica, ſive Anima ipſa) à partibus tamen perfectè formatis in fœtu jam manumiſſo, & ſui juris facto, poſſe ac debere produci. Quocirca *Gliſſonii* confidentiam ſatis mirari non poſſum, ejuſmodi mercem, quæ non niſi cautè fuit exponenda, tam audacter obtrudere non ambigentis, quæ licèt Juniorum animis minùs attentis fucum facere poſſit, Doctiorum certè perſpicaciam nullatenus effugere poteſt. Ut quid enim liquorem quemcumque in organicum motûs localis authorem, ipſorúmque organorum opificem conſtituit? cur liquorem cum ſpiritu, res toto cœlo diverſas, confundit? Nam quamvis Chymici liquores ex mineralibus vel vegetabilibus vi ignis elicitos appellent ſpiritus, id tamen abuſivè faciunt, ideóque ſolummodo quia olim in or-

gano diſtillatorio in vaporis conſiſtentia aſcenderant. Unde probat ductus illos priores in venas potiùs, poſteriores in arterias abire debuiſſe; quàm è contrà priores in arterias, poſteriores in venas? Et, quod omnium caput eſt, cur ſpiritum illum vitalem dicit ſanguinem gignere, cùm potiùs, ut ibidem ait, ab externo incubatûs calore in ſanguinem excoquatur? Unde in animalibus viviparis, ubi incubatus locum non habet, externum eliciet calorem ad liquorem vitalem in ſanguinem excoquendum? Unde colligit ſpiritum illum vitalem eſſe ſanguinem, antequam ſanguinis ideam acquirat? vel ſi ipſiſſimus eſt ſanguis, quomodo ſeipſum gignit? Quo autem jure vitalem ſpiritum cum ſanguine confundat, dicátque hunc illum in ſe complecti, expendemus in primi Argumenti ſolutione, quod eſt hujuſmodi.

Quidquid primum ſanguinem in fœtûs formatione producit, id ſanguinem toto vitæ ſpatio producere credendum eſt; identitas enim effectûs

fectûs causæ identitatem supponit: At in fœtûs formatione Sanguis vitalis primum sanguinem efficit. Minorem probat, Quid nec Cor, nec Hepar, nec Venæ id muneris exequi possunt; aliud autem ab his diversum præter Sanguinem vitalem assignari non posse asserit.

Respondeo, Verum esse, quidquid primò sanguinem in fœtu generat, id toto vitæ spatio sanguinem producere: primum autem sanguinem in fœtu inter formandum conspicuum non in fœtu, sed extra illum produci, paulò antea diximus, & ex vasorum structura probavimus, & quomodo id fiat in oviparis explicuimus: proindéque argumentum falso suppositio nititur, sanguinem nempe unde fœtûs nondum absoluti partes incrementum capiunt à fœtu ipso, vel ab aliqua ejus parte produci: ac propterea concessâ Majore, Minorem nego. Si verò de sanguine in fœtu adulto & excluso argumentum intelligatur, *Glissonio* explicandum restat quid per sanguinem vitalem intelligat. Quum enim

enim, ut paulò antea vidimus, ſanguinem & ſpiritum pro ſynonymis habeat, vel hujus ſpiritûs vitalis naturam ac definitionem debuit exhibere, vel ejus receptam inter Medicos definitionem admittere: ac proinde debet intelligere vel ſpiritum vitalem communiter à Medicis dictum, qui in Cordis ventriculis ex naturali ſpiritu & aëre per inſpirationem attracto in pulmonibúſque præparato generatur; vel ſpiritum inſitum, (aut influentem ex illo productum) qui proximum eſt animæ inſtrumentum, quod videtur intelligere, cùm illum dicat in prima ſeminali materia hoſpitari; vel denique virtutem plaſticam univerſi Corporis opificem. Si primum, manifeſtè erat, cùm ſpiritus iſte vitalis ex naturali, hic ex ſanguine fieri ſupponatur, proindeque ſanguinem unde ipſe fit conficere neque at. Si ſecundum, perinde eſt ac ſi nihil dicat: Nam ſpiritus inſitus ſive influens nullam functionem particularem obit à partium quibus implantatur actionibus diſtinctam, ſed

in

in agendo à privata singularum partium constitutione determinatur: ità in Pede v. g. ambulat, in Manu apprehendit, in Ventriculo chylum, in Hepate sanguinem conficit, non ut propria dictarum functionum causa, sed tamquam vis & energia partibus impressa, ut proprias quælibet actiones, pro privata cujuslibet crasi & conformatione, nec non proprii officii ratione exerceat. Et quamvis partium virtus absque ejusmodi spiritu ad proprias functiones obeundas inefficax sit; nemo tamen, ut arbitror, illum ambulationis aut apprehensionis aut chyloseos organum appellaverit, quorum nihilominus par est ac hæmatoseos ratio. Hinc sequitur hunc spiritum ad hoc, ut hæmatoseos sit opifex, in parte aliqua huic muneri peculiariter destinata, tamquam proprio & idoneo organo, residere debere, eámque quasi informare; quod de Sanguine, qui omnino inorganicus est & informis, affirmari non potest. Si denique per Spiritum vitalem intelligat virtutem plasticam,

plaſticam, (quam non niſi ineptè & erroneè Sanguinis appellatione exprimeret) licèt concederemus, quod concedere non poſſumus, primum ſanguinem in fœtu conſpicuum per illum fieri, id tamen toto vitæ ſpatio non efficeret, quùm partibus abſolutis, adeóque ceſſante facultatis plaſticæ uſu, ipſa ceſſare debeat. Cæterùm quod antea in *Harveo*, hîc in *Gliſſonio* non notare non poſſum; Illum notiones & acceptiones rerum elegantes & emphaticas à Medicinæ parentibus poſteris relictas, nullo emolumento aut doctrinæ compendio, ſed cum inſigni diſcentium abuſu, invertere & confundere.

Minoris probationem duplici rationum apparatu munit: alias enim Cordi, Hepati & Venis communes, alias Cordi & Hepati peculiares adducit. De Venis enim minùs videtur ſollicitus. Prioris ordinis ſunt iſtæ.

1. Ratio: Neceſſe eſt primum ſanguinem fieri ab aliquo agente: Non fit autem ab aliqua partium ſolidarum,

darum, quia illæ non formantur niſi poſt natum ſanguinem, quum nihil agere poſſit priuſquam exiſtat: Reſtat ergò ut fiat ab ipſo Sanguine.

Jam reſponſum eſt, falſum in argumento ſupponi, ſanguinem ſc. primo conſpicuum in ipſo fœtu confici, qui manifeſtè aliunde fœtui communicatur, ad augmentum & nutrimentum partium ſolidarum quarum lineamenta jaciuntur ante appulſum ſanguinis.

2. Ratio: Sanguificatio fit per aſſimilationem, éſtque actio ſimilaris; pars igitur ſanguificationi idonea debet eſſe ſanguini omnifariàm ſimilis: Cor autem & Hepar ſanguini ſunt diſſimilia, ac Venæ adhuc magis; Sanguis autem ſibiipſi ſimillimus eſt. Sanguificationem eſſe actionem ſimilarem probat, quia chylus ex quo, & ſanguis qui fit, ſunt ſimilaria, chylúſque in ſanguinem tranſit non ſeparatione alicuius partis ab alia, ſed exaltatione quadam ſpiritûs naturalis in vitalem.

Reſpondeo primò, negando Sanguifi-

guificationem fieri per aſſimilationem, quæ prima pars eſt Antecedentis: Aſſimilatio enim, quæ perfecta eſt & abſoluta nutritio, ſive ultimus nutritionis gradus, ſanguini non competit, ſed potiùs generatio, cùm res ſit inanima: nutritio enim & accretio ſolis viventibus competit, ut ex Phyſica clarum eſt, & conditiones accretionis & nutritionis ab omnibus Philoſophis traditæ, nec non diſcrimen inter generationem, accretionem & nutritionem planè evincunt; in hoc enim differunt generatio, accretio & nutritio, quòd Generatio ſit motus ad ſubſtantiam ſimpliciter, Nutritio ad ſubſtantiam ſub forma præexiſtente, & Accretio ad ſubſtantiam auctam ſive quantitatem. Horum motuum ſolus primus inanimis competit; omnes autem tres viventibus. Conditiones item accretionis & nutritionis ſolis viventibus, non inanimis conveniunt; quæ tres ſunt: 1, ut quod creſcit & nutritur, idem numero maneat; 2, ut non ſolùm totum, ſed ſingulæ ejus partes augeantur

geantur & nutriantur; 3, ut ex materia intus recepta, non extrinsecùs accedente, fiat augmentum & nutrimentum. Hæc autem inanimis non competere perspicuum est: nam quamvis majorem molem acquirant, crescere tamen aut nutriri non dicuntur, quia id fit per juxtapositionem, non per intus receptionem, quæ fit per organa & ab interno principio: quemadmodum animalia & plantæ, nutrimento ex uno principio seu radice per canales manifestos, vel ratione saltem comprehendendos, singulis partibus inter se distinctis communicato, eadem numero manentia, nutriuntur & augentur; tritici autem acervus plurium granorum accessu augetur, non autem crescere dicitur, quia singulis granis nulla fit additio, ipséque acervus idem numero non manet: ità per additionem aquæ nova numero fit aqua, ac tota augetur, non autem crescit & nutritur, quia singulis ejus partibus nullum fit incrementum; quod de Sanguine omnibúsque

búsque liquidis affirmandum est, cùm sint inorganica, partiúmque distinctione careant, quibus ab uno principio vel radice possit accedere nutrimentum.

Respondeo secundò, negando secundam partem Antecedentis, id est, Sanguificationem esse vel fieri per actionem similarem: nullam enim actionem similarem in Corpore agnoscunt Medici præter Nutritionem: jam autem probavimus sanguificationem non fieri per nutritionem. Ad priorem Antecedentis probationem dico, ad hoc ut actionis similaritas dignoscatur, non tam considerandum esse an quod generatur, vel ex quo aliquid generatur, simplex sit vel compositum; sed an agens per quod fit similare sit, an organicum: ad hoc autem ut fit organicum, non semper requiri partium heterogeneitatem, sed sufficere certam conformationem & figuram determinatam.

Ad posteriorem Antecedentis confirmationem dico, sanguinem ex chylo fieri per ulteriorem concoctionem,

onem, & complurium recrementorum ſeparationem, ut ſunt bilis & melancholia, quorum excluſioni Hepar & Lienem Natura dicavit, luculento indicio Sanguificationem non eſſe ſimilarem actionem, quæ ſine tot operoſis organis non potuit fieri. Addo, ſub judice adhuc litem eſſe, an dentur ſpiritus aliqui naturales, quos, ſi dentur, non ex chylo, ſed ſanguine fieri eorum aſſertores contendunt: ut mirum ſit *Gliſſonium* paſſim tam promiſcuè & ſine ulla probatione pleriſque terminis abuti.

Denique, *Gliſſonii* in gratiam admiſſo (non conceſſo) Antecedente quoad partem poſteriorem, nego Conſequentiam: Similaritas enim & Similitudo toto cœlo differunt; quum Similaritas tantùm notet partium homogeneitatem, vel carentiam certæ ac determinatæ figuræ, quatenus ſimilare opponitur organico; Similitudo autem etiam qualitates & conſiſtentiam aliáque comprehendit. Vi igitur argumenti non ſequitur effectum debere eſſe agenti ſimilem,

quia fit per actionem ſimilarem.

3. Ratio: Si Cor & Hepar aut Venæ ſanguificationis officio ſe accingerent, chylum ad ſuam ſpeciem ſuæque ſubſtantiæ ſimilitudinem tantùm deducerent, ibíque ſubſiſterent, neque ad formam ſanguinis introducendam progrederentur, quum nihil agat ultra ſphæram ſuæ activitatis.

Reſpondeo, argumentum ſupponere, ulteriorem elaborationem requiri ad hæmatoſin quàm ad partium ſolidarum ex ſanguine reparationem ſive homoioſin: quod falſum eſſe quis non videt? quum è contrà ſanguinem priùs confici, ac deinde multiplici alteratione in partium ſubſtantiam converti, manifeſtum ſit, ut progreſſus iſte ultra propriæ activitatis ſphæram chimærica ſit ſuppoſitio. Verum quidem eſt, quodlibet agens naturale effectum ſibi quàm poteſt ſimilem producere, nec infrà ſubſiſtere, & conſequenter organum ſanguini conficiendo deſtinatum non in ſanguinis confectione deſiſtere, ſed chylum in ſuam ſubſtantiam convertere

tere debere, niſi impediatur: multa autem impediunt. Inprimis, Major materiæ copia jam in ſanguinem converſæ quàm quæ organo ipſi nutriendo ſufficiat, quam idcirco aliò amandari neceſſe eſt. 2, Continuus novæ materiæ in ſanguinem convertendæappulſus, quæ priorem ulteriùs impellit. 3, Reliquarum partium attractio ſanguinem continuò ad ſui reparationem rapientium: ac tandem, facultatis corpus regentis imperium in partem officialem & publicæ totius Oeconomiæ inſervientem. Cæterùm ſi quid valeret hæc *Gliſſonii* ratio, ventriculus cibos non converteret in chylum, qui ſuæ ſubſtantiæ non minùs eſt diſſimilis quàm Sanguis Hepati.

4. Ratio: Ex *Galenicorum* ſententia hæmatoſeos organum ideo ſanguini impertitur ruborem, quia ipſum rubrum eſt, Cor putà aut Hepar: Atqui Sanguinis rubor ſaturatior eſt quàm ſit Hepatis aut Cordis; imò hæc ante acceſſum ſanguinis in fœtu pallida ſunt, & ſi ex ani-

malis recenter demortui hepate ſanguinem calidâ eluas, non rubri, ſed ſurvi coloris apparebit: Sanguinis igitur rubor aliunde accerſendus eſt quàm à corde aut hepate, quum nihil alteri communicare poſſit illud quo ipſum deſtituitur.

Reſpondeo, Quamvis *Galenici* verè dicant Hepar eſſe ſanguificationis organum, poſſe tamen contingere ut aliquæ eorum rationes efficaciter non concludant, ac ſatis eſſe ſi quædam ſint efficaces: fateórque ruboris in ſanguine cauſam adæquatam non eſſe ruborem hepatis, ſed concurrere ipſius chyli conditionem ad ruborem ex ulteriore concoctione contrahendum diſpoſiti; imò non eſſe neceſſarium, ut quod alteri quampiam qualitatem communicat, ipſum eam actu habeat, ſed ſufficere ut habeat aliquas qualitates actu, quæ concurrente patientis diſpoſitione aptæ ſint aliam ab utriſque fortè diverſam producere; ut contingit in ſpiritu vitrioli, qui licèt actu nullius ſit ruboris particeps, alios tamen liquores ſaturato

rato rubore tingit, quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur. Quod ulteriùs confirmatur Lactis exemplo, cui ſi paululum fellis incoxeris, illico pulchrum ruborem acquiret; idque experiuntur, & prodigii loco habent, mulierculæ caſei confectrices, quæ vaccis febricitantibus, ideóque lac multâ bile perfuſum præbentibus, illud inter coquendum ſanguinis inſtar tinctum non ſine terrore conſpiciunt. Lacti autem analogus eſt chylus, biliſque nonnihil in ſe continet, ac propterea, accedente ulteriore in hepate coctione, ſaturato rubore tingitur. Mirum autem eſt hîc *Gliſſonium* fateri cor & hepar ante productum ſanguinem extitiſſe, qui nuper illa ab hæmatoſeos officio excludere voluit, ideo quia ſanguis in fœtu appareat ante illorum fabricam.

5. Ratio: *Chylus & ſanguis intimè commiſti manent, ideo neceſſe eſt ut in ſe mutuò agant: Corpora enim naturalia juxta ſe poſita ſe mutuò alterare ſatagunt: Ergò cùm ſan-*

guis mole quidem decuplò, viribus autem centuplò ſuperet chylum, illum ſibi aßimilabit.

Reſpondeo: *Gliſſonio* priùs probandum fuit ſanguinem chylo miſceri, quia hoc eſt quod nos negamus.

Ultimò objicit *Gliſſonius*, *Chylum intimè ſanguini commiſceri; à venis autem & cordis ventriculis non niſi ſuperficialiter lambi; hepar verò chylum nullatenus ingredi, vel, ſi ingrediatur, confeſtim egredi, nullâ ad aßimilationis opus morâ conceſſâ; propterea ſanguinem chylo domando efficaciorem eſſe ſaltem ratione moræ diuturnioris.*

Reſpondeo: Statim negavimus chylum ſanguini miſceri. Quod autem ad feſtinatum ejus ex hepate vel corde egreſſum attinet, illum nondum probavit *Gliſſonius*: ſupponit tamen, credo ſecundùm Juniorum quorundam calculum, circulatorium ſanguinis motum hepar confeſtim & continuò deplentem, ſanguinémque in cor & arterias veloce impetu exonerantem, adeóque ad ſingulos cordis pulſus

pulſus neſcio quantum ſanguinis effundi in arterias, ut neceſſe ſit totam maſſam paucarum horarum, ſi non quadrantum, ſpatio integrum abſolvere circuitum, ut nullibi moram patiatur. Verùm, pace illorum, ego cum *Fortunio Liceto* dixerim, nec ſemper tantum ſanguinis quantum illi aſſerunt, nec ad ſingulos pulſus ex ſiniſtro ventriculo in Aortam deponi: ſed ſanguinem eâ temporis & copiæ menſurâ quæ totius indigentiæ conducit ab auricula in dictum cordis ſinum effundi, indéque in auriculam denuo refundi, & perpetuo Euripo remitti ad perfectam uſque elaborationem, tum demum per Aortam in corporis refectionem abiturum. Nec Neotericorum Experimenta contrarium evincunt, quippe quæ corpus in ſtatu non naturali ponunt, quem à naturali prorſus diverſum eſſe, aliámque conſiderationem mereri, fatendum eſt. Quis enim ſanguinem dixerit tam celeri motu in ſtatu naturali ad Cor ferri, ac inter miſerabilem viviſectionis torturam?

Rationes experientiâ confirmat *Gliſſonius*; *Quia homines poſt profuſas hæmorrhagias, hepate & corde illæſis incidunt in hydropem, cachexiam, alióſque morbos frigidos, læſâ nimirum ſanguificatione propter ſanguinis jacturam, cujus copia novo chylo domando ſufficiens non ſupereſt.*

Reſpondeo, Hydropem & cachexiam ideo conſequi profuſas hæmorrhagias, quia deficiente nutrimento partium tonus & facultas concoctrix debilitatur, ac ſpirituum tum inſiti, qui proximum eſt animæ inſtrumentum, tum vitalium reparatio & generatio ceſſat.

Inſtat *Gliſſonius*, *Cor, hepar & venas eſſe partes ſolidas, propterea-que ſubitò immutari non poſſe, præſertim quum ab hæmorrhagia nihil præternaturale patiantur.*

Reſpondeo, Cor, hepar & venas, quamvis partes ſolidas, ſpiritûs tum inſiti tum vitalis radiis orbatas, genióque defraudatas, citò deficere, earúmque functiones labefactari, propterea-que pati aliquid omnino præter naturam.

Regerit

Regerit adhuc *Gliſſonius*, *Hoc damnum eſſe ſolummodo privativum, defectum ſcilicet vitalis caloris, proindéque nobis fatendum eſſe vitalem calorem in ſanguine eſſe unicam ſanguificationis cauſam.*

Reſpondeo, concedendo hoc damnum eſſe privativum, ſufficiens tamen ad productionem effectûs privativi, cujuſmodi eſt fruſtratio ſanguificationis: bonum enim ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu. Non capio tamen quâ Logicâ concludat hinc nobis fatendum eſſe, vitalem calorem in ſanguine eſſe unicam ſanguificationis cauſam.

His in communi contra hepatis cordíſque hæmatoſin rationibus à *Gliſſonio* præmiſſis, alias utrique membro peculiares ſubnectit: ac inprimis, *Hepati ſanguinis fabricam* abjudicat, Pecquetti *obſervatione de diſtributione Lactearum thoracicarum, per quas chylum in ſubclavias deferri, nullóque modo ad hepar pertingere contendit.* Sed *Pecquettum* redarguunt *Aſellii, Walei,* & *Bartholini* obſervationes,

nes, qui inſertionem lactearum meſentericarum in hepar oculatis manibus viderunt; de qua licèt aliquando dubitare viſus ſit *Bartholinus*, in ultima tamen operis Anatomici editione eam aſtruit, & æreis Iconibus exprimit. Addo ego, non parùm ſuſpectum eſſe uſum lactearum thoracicarum à *Pecquetto* aſſignatum: Nam quamvis dubitandum non ſit duos ramos à receptaculo *Pecquettiano* ad ſubclavias ferri, eóſque nonnunquam viſos chylo refertos; id tamen perpetuum eſſe neceſſe non eſt, cùm inter diros empſychotomias cruciatus ſucci omnes confundantur, & ad cor quâ poſſunt commodiùs pergant, naturâ omnibus, quantumvis irritis, machinis parti tam nobili ſuppetias ferre conante. Unde fieri poteſt ut tum temporis etiam ſuccus chyloſus hoc iter, licèt alteri uſui in animale rectè valente deſtinatum, præoccupet.

Cordi verò vim ſanguificam hâc ratione eripit *Gliſſonius*. *Cor*, inquit, *omnem vitalem calorem & activitatem à ſanguine vitali mutuatur, ſine*

que

quo non minùs torpida pars eſſet quàm alia quævis totius corporis. Hoc effatum nobili experimento confirmat: *Evelle,* inquit, *protinus ſani animalis cor, ſanguinémque indè omnem elue, ac mox, dum etiamnum calet, chylum aut lac in ventriculos ejus infundito, viſurus numnam liquor ille ſanguinis aliquam faciem induturus ſit: Experieris profectò eundem neutiquam immutatum iri. Eſt tamen,* inquit, (juvat enim in præclaro hoc experimento paulò diutiùs immorari) *eſt,* inquit, *cor pars ſolida, & minùs veriſimile videtur actionem illam, quam ſolidioris ſubſtantiæ ſuæ ratione exequitur, momento temporis intercipi.*

Hæc *Gliſſonius*: Atqui ego eodem conficiam experimento, nec ventriculum chyloſeos, nec oculum viſionis, nec pedem ambulationis, nec manum apprehenſionis organa eſſe. Evelle enim protinus ſani animalis ventriculum; eum, dum adhuc calet, elue; ei quantocyus cibum quantumvis eupeptum ingere, viſurus num chyli aliquam faciem ſit indu-

turus,

rus, Experieris profectò illum neutiquam immutatùm iri. Erue quantocyus oculum, brachium aut pedem abſcinde: profectò nec oculus videbit, nec pes ambulabit, nec manus apprehendet: ſunt autem partes corde *non minùs ſolidæ*: cur igitur earum functiones *momento temporis* intercipiuntur? At, inquit *Gliſſonius*, Cor functionem ſuam *ratione ſolidioris ſubſtantiæ exequitur*. Verùm nos hactenus credidimus membra ſuas functiones exequi, non tantùm ratione ſubſtantiæ, quæ per ſe non agit, ſed etiam & fortè magis ratione temperiei & conformationis. Mihi quidem videtur Cor non magis agere ratione ſolidioris ſubſtantiæ, quàm pedem & manum. Non advertit, credo, *Gliſſonius* Partem à Medicis definiri, *Corpus toti cohærens & communi vitâ conjunctum*, quâ partes cohærentiâ deſtitutæ non ampliùs ſunt *partes* niſi æquivocé. Præterea nullámne efficaciam concedit *Animæ*, ſeu, quod idem eſt, *Formæ Gliſſonius*, quâ per ejuſmodi evulſionem privatur Cor? cujus

cujus neceſſitatem ſi intellexiſſet *Williſius*, non tam temere *formas & qualitates*, in tractatu de Fermentatione, *inanium figmentorum* titulo ornâſſet. Nam profectò, ut hoc (licèt parergon) adjiciam, functionum in hoc caſu fruſtratio non Salis, Sulphuris, Mercurii, Terræ aut Aquæ defectui, ſed Animæ ſeu Formæ abſentiæ aſcribi poteſt; niſi fortè etiam animam rationalem, ut cætera quæcumque, ex ſuo principiorum quinario conflari contendat *Williſius*.

Verùm enimvero quo eſt animo *Gliſſonius* clemente & pacifico, poſt fuſas & fugatas hoſtiles copias, poſt hoſtes armis & munimentis exutos, cum illis tamen in gratiam redire paratus eſt quantum rei veritas patitur: Quippe in *Peripateticorum gratiam*, (*Galenicis* enim perennes inimicitias & bellum ἄσπειστον indixit) ſi cor & arterias in *ſenſu concreto* intelligant, quod *Ariſtotelem* feciſſe putat veriſimile, prout ſcil. ſanguinem vitalem in ſe continent, libenter fatetur *ſanguificationis opus in cordis ventriculis primùm*

primùm inſtitui, idem in arteriis continuari, & poſt plures circumactus in iiſdem locis perfici; eâ tamen lege, ut inter dictas partes concretas operis principalitas ſoli ſanguini tribuatur, reliquis in auxiliarium cenſu tantùm æſtimatis, ídque per modum organicum, non autem ſimilarem. Ego verò ſubvereor nè hanc *Gliſſonii* comitatem Peripatetici riſu excipiant, eúmque ad Categorias & Prædicabilia remittant, quid Concreti, quid Abſtracti nomine intelligendum ſit, denuo monendum; quippe qui dicant *Concretum* formam cum ſubjecti connotatione, *Abſtractum* eandem abſolutè ſignificare: quod quâ ratione cordi & arteriis ſanguinem vitalem continentibus applicari poſſit, *Ariſtotelem* ignorâſſe fatebuntur. Mirum autem eſt *Gliſſonium* adeò jam ſui eſſe oblitum, ut ſanguificationem, quam ſuprà nervoſè contenderat actionem eſſe *ſimilarem*, jam per modum *organicum*, non autem *ſimilarem*, fieri velit; adeò ſc. parùm ſibi conſtat erroris cujuſlibet defenſio.

Sanguinis

Sanguinis ex quatuor Humoribus Compositio astruitur : contra Willisium.

CAPUT VI.

ABsoluto penso de Sanguinis facultate sanguificâ adversus *Harvæum & Glissonium*, cum *Willisio* denuo congredi, eúmque percontari lubet, quâ inductus necessitate *ternarium* Chymicorum in *quinarium* mutaverit? quâ ratione cum prædamnatâ Peripateticorum bigâ (Terrâ & Aquâ) in gratiam redierit? quo exulatum damnaverit Pyrotechniæ præsidem *Mercurium*? num etiam veterem Chymicæ Medicinæ structuram dirutum eat, novámque habeat sub incude gementem? cujus erroris reos statuit *Paracelsum*, *Crollium*, *Gluckradium*, *Beguinum*, *Hartmannum*, *Libavium*, cæteróque Chymicorum *antesignanos*, qui *Aquam* sub *Mercurio*, *Terram* sub *Sale* comprehendunt?

At

At verò Analyſi per ignem factâ mixta quæcumque in *quinarium Williſii* reſolvuntur. Vereor equidem nè chymica corporum principia in infinitum excreſcant, ſi eorum numerus æſtimetur ſecundùm varietatem mutationum Saporis, Coloris, Conſiſtentiæ, aliarúmque qualitatum quas ab Igne patiuntur. At ſi Analyſis per Ignem tantam explorationis certitudinem exhibet, jam in vado eſt non ſolùm jam memorata biga, ſed tota etiam Peripateticorum quadriga, palmámque chymicæ ſenſibilitati præripiet. Nam ut *Gluckradii* exemplo ad oppoſitam illi doctrinam confirmandam utar, *in ligni combuſtione, pars*, ut ait *Billichius*, *in Aërem abit per fumum, altera in Aquam tranſit ex ligni extremitatibus reſudantem; pars voracis fulgore flammæ luculentum prodit Ignem, reſiduum in Terram & cineres moritur.*

Sed quid in Principiis univerſæ Mixtorum multitudini communibus immoramur? non enim Phyſicam hîc, ſed Medicinam excolendam ſuſcepimus;

mus; nec remota, ſed proxima Sanguinis principia inveſtigamus: in quibus indagandis ſi ad ſuum nos *quinarium* remiſerit *Williſius*, haud aliter fecerit quàm ſi (quod ipſe in Peripateticis reprehendit) *Domûs principia quærenti ligna & lapides oſtendat.* Perſtat tamen *Williſius*, ac ſollibus arreptis ignem ſufflaminat, fornacem pyrotechnicis organis inſtruit, ſudat, alget, ſapores, odores, colores, conſiſtentiam oculis, naribus, palato explorat; & quamvis in omnes ſe vertat partes, nihil tamen præter ſuum *quinarium* deprehendit, id eſt, *Spiritum*, *Salem*, *Sulphur*, *Aquam* & *Terram* toti Univerſo (ſi *Williſio* credimus) communia. In Præfat. Tract. de Ferment.

At enim Dogmatici minore ut induſtriâ ità & anxietate, citra ullam furnularii apparatûs pompam, quatuor humores in hominis vel alterius animalis ſanguine ad oculum conſpiciendos exhibent; *in ſummitate* (ut ait idem *Billichius*) *purpuraſcentem Sanguinem* propriè dictum, *in limbis flavioribus ac tenuioribus Bilem*, *in*

parte aquea ad albedinem nonnihil inclinante Pituitam sero permixtam, in fundo fæculentiam Melancholicam non frustrà venantur; adeóque Sanguinis principia proxima, non remota, compositionis, non generationis, partes scil. integrantes & sensibiles, ac non tantùm *noëticas*, oculatâ fide dignoscendas proponunt.

De Febr. p. 28. Objicit *Willisius*, ejusmodi Sanguinis partes, *quales in Scholis finguntur, nullibi sinceras reperiri*. Fateor sanè in Sanguine extracto vix omnino sinceras reperiri; ità tamen conspicuas, ut cæcus sit qui eas nequeat distinguere: ab electivè autem purgantibus humores sinceros nonnunquam excerni, imò & in spontaneis excretionibus, ídque fortasse frequentiùs, idem contingere patebit in loco. Sed nec *Willisii quinarius* deprehenditur sincerior: ipse fatetur *Sulphuris substantiam nunquam sinceram conspici*, imò *seorsim ab aliis non consistere, quin tenues vanescat in auras: Spiritum autem, substantiam*, ut ait *Willisius, maximè subtilem, ætheream & divi-*

divinioris particulam auræ, ubi gentium ſinceram oſtendet? Salem ſimiliter ſincerum non poſſe conſpici patet ex *Williſiana* Urinæ Anatome, cujus cum *latice aquoſo aſcendunt particulæ Salis & Sulphuris, quas ſequitur Phlegma non ſolitarium, ſed Sale inſigniter aculeatum, relictâ in cucurbitæ fundo Salis portione non ſincerâ, ſed Terræ unitâ.* Ità Chymici res in partes ſenſibiles determinare, & veluti ad vivum diſſecare, oſtentabundè magis quàm verè pollicentur.

Sanguinis ex quatuor humoribus compoſitionem autopſiâ probatam exhibuimus: ſupereſt ut id ità factum oportuiſſe, nec aliter fieri potuiſſe, oſtendamus. Quod factu non erit arduum, ſi conſideremus alimenta quibus in quotidiano ùtimur victu non unius eſſe omnia, ſed multiplicis naturæ, ità ut alia aliis magis vel minùs alteratricis facultatis actioni reſiſtant vel cedant; imò pro diverſa cujuſque indole diverſas ſubeant mutationum ideas, quemadmodum ab eodem Solis calore Cera liquefit & Lutum indu-

ratur: quicquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur: ideo impoſſibile eſſe, ex illis Sanguinem omnino homogeneum gigni poſſe: imò nec debuiſſe hinc liquet, quia cùm Sanguis commune ſit totius corporis alimentum, corpúſque multiplicis naturæ ac temperiei partibus conſtet, conſentaneum eſt ſapientem Naturæ Architectum etiam alimentum illis partibus deſtinâſſe non homogeneum & unius modi, ſed heterogeneum & multiplicis temperamenti, quò expeditiùs ſingulæ partes tamquam ex communi promptuario nutrimentum ſibi maximè proportionatum prolicere poſſint.

Porrò quòd ejuſmodi Sanguinis partes ſint quatuor vulgò dicti Humores, *Hippocratis* experimento confirmatur, qui (L. de Nat. hum.) ex electivè purgantium effectu demonſtrat hominem, quoad vitâ fruitur, Sanguinem in ſe Pituitámque & utramq; Bilem continere. Epoto enim medicamento phlegmagogo pituitam, cholagogo flavam bilem, melanagogo atram

tram excerni ; hoc autem contingere quovis die ac nocte, hyeme ac æstate.

Hippocratis experimentum eludit *Fernelius*, Physiol. l. 6. agnoscendo experimenti veritatem, sed dicendo ejusmodi humores non necessariò alimentarios esse, aut è venis excludi, sed excrementitios, & ex ventriculo, intestinis, hepate, aut vesiculâ felleâ educi : bilem enim v. g. in venis non contineri, quia cùm sit amara, omnino sit ad nutriendum inepta, eámque etiam in minima quantitate *nullâ concoctionis præstantiâ*, *nullâ benigniorum admixtione*, *ad mediocritatem nutritioni aptam reduci posse* ; non secùs ac lapidis aut ferri tenuissimus pulvis, quantumvìs cum pane accuratè subactus, nutriendi vires consequi nequit. Quam explicationem ipsius *Hippocratis* authoritate confirmat, 2. Aphor. 36. dicentis sanorum purgationes esse difficiles ; quod ideo contingere ait *Fernelius*, quia in sanis non sunt humores specificâ pharmacorum virtute educibiles,

unde fit ut pharmaca in parenchymatum & partium ſubſtantiam agant. Sed *Fernelii* explicationem optimo jure redarguit celebris memoriæ popularis meus *Nellanus Glacanius*, *Tholoſæ* primùm, nuper autem *Bononiæ* in *Cathedra eminente* Medicinæ Profeſſor primarius. Cùm enim (inquit) *Hippocrates* dicat quatuor humores eſſe hominis naturam, eúmque abſq; illis vivere poſſe neget, eóſque ex electivè purgantium effectu corpori ineſſe concludat, clarum eſt illum de alimentariis, non autem de excrementitiis eſſe intelligendum, cùm abſque his homo commodè vivere poſſit.

Præterea, niſi in ſanorum catharſi electiva aliquid utile & alimentarium educeretur, ſani non læderentur à catharſi: At ſani à catharſi læduntur: Ergò propter ſucci alicujus utilis excluſionem; non læderetur enim homo ab eductione humoris excrementitii: Nihil autem electivè educitur præter bilem alterutram vel pituitam: Ergò illud quod eductum lædit, debet fuiſſe utile, ſeu, quod idem eſt, alimentarium:

tarium : humores autem alimentarii continentur in venis, non autem in ventriculo, inteſtinis, hepate aut veſiculâ fellis. Ratio autem cur ſani non ferunt catharſin non eſt illa quam adfert *Fernelius*, quòd ſcil. in corpore ſano non ſint humores electivè educibiles ; ſed quòd juſtam proportionem nullus eorum notabiliter excedat, cùm ſanitas in eorum æquilibrio & ſymmetriâ, tamquam cauſâ ſaltem mediatâ, conſiſtat, quâ per catharſin ſolutâ ſanitas vitiatur : ſi verò humorum aliquis quantitate vel qualitate peccet, ſine noxa educitur.

Cæterùm quod ait *Fernelius*, bilem *amaram* eſſe, adeóque ad nutriendum etiam in minima quantitate ineptam, ut nullâ benigniorum temperatione ad mediocritatem reduci poſſit; ut fortè de bile excrementitia verum eſſe poſſit, (de quo tamen ambigi poteſt) de bile certè alimentaria, quæ tantùm calidior & ſiccior eſt pars ſanguinis, verum eſſe non poteſt. Nec pulveris è ferro & lapide paritas *Fernelium* juverit: bilis enim cum reliquis

ſuccis cognationem habet & qualitates ſymbolas, quarum ratione à calore nativo ad unitatem ex mutua earum temperatione emergentem redigi queant, quod de pulvere ferri aut lapidis ac pane nullatenus dici poteſt.

Nec tantùm in ſtatu ſano, ſed etiam morboſo, quatuor humores in homine reperiri, ídque non tantùm in peculiarium receptaculorum ergaſtulis, ut *Williſio* placet, ſed & in vaſis & habitu corporis, promptum eſt oſtendere. Non inficiabitur, ut arbitror, *Williſius* in leucophlegmatia & œdematoſo affectu habitum corporis pituitâ tumere, in Ictero utroque cutim bile flavâ & atrâ tingi; quod non niſi à dictorum humorum indebita cum maſſa ſanguinis mixtura proficiſci poteſt: quod & ulteriùs confirmant ſudorum varii colores, flavi, nigri, virides, cærulei, æruginoſi: nam quum ſudor ſit ſerum à ſanguinis vehiculo reliquum, rationi conſonum eſt, eum humorum qui in corpore magis eminent tincturam æmulari. Sudorum in colore varietatem fuſè perſequitur *Galenus*, 4. de

4. de Sanit. tuenda; ſed fuſiùs eoſdem ſecundùm omnes differentias conſiderat, & variis humoribus ſecundùm variam illorum miſcelam adaptat *Cæſar Baricellus*, 2. de Natura Sudoris, quos conſulat qui volet. Hîc autem omittere nequeo caſum inſignem, quem ante aliquot annos *Aquis calidis* communicavit mihi Vir ornatiſſimus D. *Johnſonus*, Medicus *Vigornienſis* expertiſſimus, de Infante valetudinario qui inter dormiendum perpetuo ſudore diffluebat, & lintea colore violaceo, ſeu inter violaceum & ſapphirinum medio, quem *Angli* **Coventry Blew** appellant, exactè tingebat: & memini me vidiſſe mulierculam proprium infantem lactantem, cujus lac ſapphirinum colorem exquiſitè referebat; ambo autem paucis pòſt menſibus obierunt: quos colores in variam utriuſque bilis miſturam & ſingularem coctionis ideam referendos ego exiſtimo. At huic controverſiæ finem imponere debent Febrium continuarum (quarum cauſam in vaſis majoribus ſtabulari

lari non diffitetur *Williſius*) excretiones tum criticæ tum ſymptomaticæ, in quibus nunc pituita, nunc bilis flava, atra, vitellina, porracea, æruginoſa, glaſtea nunc ſalubriter, nunc pernicioſè excernitur: unde ſic argumentari poſſumus. Quod ritè eductum Febrim ſolvit, & retentum, vel cum indebitis circumſtantiis eductum, ægrum interimit, Febris cauſa ſaltem mediata dicenda eſt: At humores in venis contenti id faciunt: Ergò ſunt Febrium cauſæ. Major videtur clara. Minori fidem faciunt omnium ſeculorum, gentium & Medicorum experimenta.

Denique, bilem intra vaſa Febrim excitare, eâque eductâ Febrim ſolvi, ipſe fatetur *Williſius* in Febris tertianæ cura, cujus cauſam dicit eſſe pravam ſanguinis diatheſin in naturam acrem & bilioſam tranſeuntis, eámque curari purgatâ per vomitum bile ex veſicula fellea, quam inanitam, receptaculum evadere humorem bilioſum, ſive Salis & Sulphuris aduſti particulas, è vaſis emulgens

emulgens & excernens: quod ſi de bile Tertianæ cauſâ concedat, viderit ipſe cur idem, ſervatâ analogiâ, de aliis humoribus alias Febrium ſpecies committentibus, & per propria elateria expurgatis, neget.

Cæterùm quòd hîc & alibi paſſim *Williſius* bilem, ac Salis & Sulphuris aduſti particulas pro ſynonymis habeat, non ægrè feremus, eâ lege ut ſolam excrementitiam eo nomine intelligi velit, alimentariam autem Salis ac Sulphuris naturalis ſeu minimè aduſti nuncupatione gaudere permittat: ſi enim partium heterogeneitatem in Sanguine admittat, atque ità de re nobiſcum conveniat, de nominibus, quamvìs nullo operæ pretio mutatis, non litigabimus, permittemúſque ut Chymici, ex quorum ſe claſſe profitetur, vocum ſaltem *novitate*, ut ſolent, *ſapientiæ opinionem* aucupentur.

An partium Temperies per Ignem aut Fermentum rectè exprimatur. Billichius *notatus.*

CAPUT VII.

QUamquam *Williſio* promptum fuerit efferveſcentiæ & orgaſmi febrilis cauſas deducere, tum ex ſanguinis heterogeneitate, tum ex primarum qualitatum aliarúmque ex illis naſcentium pugnâ & enantioſi; nè tamen ex *Solitudine* quam peragravit *nullis calcatâ veſtigiis* nihil inſolentis retuliſſe videatur, indulgebimus illi ut δυσνοήτοις, nè dicam barbaris, *Ignis Carteſiani* & *Fermenti Hogelandici* vocabulis, argumento quod illuſtrandum ſuſcepit, altâ involuto caligine, ſpiſſiores adhuc tenebras offundat: non enim diſſimulandum eſt, in omni Febre calorem igneum, in pleriſque etiam, præſertim intermittentibus, aliquam Fermentationis rationem conſpici:

ſpici: ferri autem non poteſt quòd eadem ad naturalem partium craſin & calidi innati naturam exprimendam ſupinâ ἀκυρολογίᾳ traducat. Equidem cùm viri Naturæ conſultiſſimi duplicem in vivente Calorem agnoſcant, nativum unum, alterum igneum, quorum ille unà cum benignis ſpiritûs inſiti radiis omnia foveat, vivificet, conſervet, unde à nonnullis haud ineptè æthereus ac cœleſtis audire meruit; igneus è contrà eadem deſtruat & devaſtet, functiones omnes evertat ac peſſundet, quódque ad rem præſentem magìs attinet, febrilis ἀταξίας origo ſit & radix; nemo ſine inſigni terminorum abuſu hunc cum illo confuderit: quæ notionum confuſio quamquam *Carteſio*, fœminis aulicis, & ingeniis aliorum minùs ſolidis aliquam eruditionis umbram venditanti, concedi poſſet; *Williſio* certè, in Academia *Oxonienſi* philoſophanti, imò Philoſophiæ reſtaurationem parturienti, nullatenus concedi poteſt.

Sed nec magìs appoſitè, *Hogelandum*

dum ſecutus, idem Calidum innatum quod jam per Ignem in Cordis foco reconditum expreſſerat, paulò pòſt, imò eodem ferè halitu, Fermentum appellat, dicítque perinde eſſe hoc an illud dixeris: quæ enim obſecro tanta Igni intercedit cognatio cum Fermento, in quo aciditas frigoris ſoboles maximè elucet? *Hippocrates* olim prodidit aceto nigra fermentari; vulgóque notum eſt, fermentum quo artifices Cereviſiarii ac Panifices utuntur impenſè eſſe acidum, cui analogus eſt Tartarus in Vino fermentationis opifex: In aciditate autem terrena ſiccitas, ſeu, quod idem eſt, pertinax frigiditas, dominium obtinet; quæ licèt ad agitationem & motum in omni fermentatione conſpicuum ſit inepta, ideóque calore quo excitetur & in actum erumpat opus habeat, quàm tamen debilis is debeat eſſe, nôrunt Zythepſæ & Oenopolæ, qui zythum aut muſtum non niſi actu frigida, & in loco impenſè frigido, ut fermenteſcant, reponunt, præſertim

ſi tempus ſit paulò calidius: ſin urgeat tempeſtas frigida, locum quidem tepidum & moderatum calorem eligunt, quem ſi paulò auctiorem adhibeant, pro vino vappam, pro cereviſia liquorem ingratum & fatuum, pro ζυμώσει denique putredinem ſint relaturi. Adeò verè dictum à quopiam Philoſophorum fuit, Ad fermentationem opus eſſe calore quidem movente, ſed frigore vincente.

Nec obſtat quòd inter fermentandum vaſa juſto diligentiùs obturata rumpantur ac diſſiliant: hoc enim non caloris ubertati, ſed flatuum ex remiſſo calore naſcentium, ampliorémque locum poſtulantium, copiæ acceptum referri debet; quod vel indè clarum eſt, quoniam quò diutiùs & efficaciùs fermentum in lagenis vitreis vel lapideis conceperint vina vel cereviſia, præterquam quòd bibentes flatibus repleant, eò frigidiora inter bibendum ſentiantur: adde quòd ſi calorem validiorem applicueris, vinúmque aut zythum ad fervorem & extremæ guttulæ

guttulæ exhauſtum coxeris, nihil indè periculi ſit vaſis timendum.

Aciditatem fermentationis opificem eſſe, quamvis *Plato*, qui primus ac ferè ſolus de Fermentatione accuratè egit, expreſſis aſſerit verbis, negat tamen *Anthonius Guntherus Billichius*, in Anatom. ferm. Platon. C. 8. ideo quia calx viva, in qua nulla aciditatis ſit ſuſpicio, frigidâ affuſâ fervet; cujus incendium, ut & butyri antimonii affuſo nitri ſpiritu, vivum ait eſſe fermentationis exemplum, repugnantibus *Cardano* & *Scaligero*, qui ejuſmodi fervoris cauſam ſtatuunt antiperiſtaſin. Id ex *Pinciero* duplici probat *Billichius* experimento. Primo, Quia ſi calcis glebam dimidiâ ſui parte in aquam immerſeris, illa tantùm pars quam aqua madefecerit calorem ſit contractura, immutatâ alterâ quæ ſupra aquam fuerit; cujus contrarium contingere oporteret, calore per antiperiſtaſin frigidæ à parte madida ad ſiccam refugiente. Secundo, Quia idem incendium conciperet calx viva

ad

ad affuſionem calidæ non minùs quàm frigidæ, ut caloris à frigore fuga ſit commentitia. Quæ experimenta tanti æſtimat *Billichius*, ut de triumphatâ Antiperiſtaſi, eíque ſubſtitutâ Fermentatione, Epinicium ſibi cecinerit.

At enim quid regeret *Billichius*, ſi negaverimus calcis vivæ incendium fermentationis eſſe ſobolem, ſed illud retulerimus in pugnam, non fugam contrariarum qualitatum, dum famelicus ignis ac pabuli indigens in exſucca calce, & propter exhauſtum in calcinatione humidum continens vix cohærente, latitans, ſine impedimento affluentem confertim humorem aggreditur, cui non minùs contrarius eſt quàm frigori, quo in congreſſu Aqua (frigida illa fuerit, an calida, parùm refert) ex Ignis reactione calorem acquirit, qui tamen durabilis non eſt, ſed copiâ aquæ ignem non ità uberem obruente, ad nativum denuo frigus revertitur; quod & in Fermentatione contingit, quam, dum fit, caloris nonnihil comitatur;

abſolutam, redivivum frigus & aciditas excipiunt.

Verùm unde, obſecro, colligunt *Pincierus* & *Billichius* ad hoc ut calcis vivæ incendium tribueretur antiperiſtaſi, calorem debere refugere à parte calcis madida ad ſiccam? ubi obſervârunt accidens tranſiiſſe de ſubjecto in ſubjectum? At hoc, inquient, eſt de ratione antiperiſtaſeos. Minimè gentium; ſed in antiperiſtaſi contraria qualitas oppoſitam debet circumſiſtere; quod nè fiat, ipſa vetat ſuppoſitio, quæ dimidiam glebæ partem ſupra aquam eminentem, eíque non immerſam, requirit.

Cæterùm agitatio & fervor quem in madefacta calce, aut butyro antimonii ſpiritu nitri confuſo obſervamus, fermentationem in illis non magis evicerit quàm ebullitio in elixis, in ferro aut titione candentibus aquæ immerſis ſtrepitus, aut in fœno putreſcente incendium; quæ toto cœlo eſſe diverſa quis non videt? Ac de Elixis res eſt apud omnes in confeſſo: in Fœno autem accenſo, ut multa alia omittam

omittam quæ putredinem à fermentatione vel invito *Billichio* diſcriminant, dicat, ſi poteſt, quâ ratione in hoc caſu fœnum majorem molem acquirere dici poſſit, quod tamen ad fermentationis eſſentiam pertinere poſt *Mercurialem Billichius* fatetur, ideóque Fermentum à *Gallis* non ineptè *Levain*, quia maſſam levet, appellari contendit. Verùm enimvero in proferendis fermentationis pomœriis tam induſtrius eſt *Billichius*, ut omnes tum Micro-tum Macrocoſmi alterationes & operationes uni illi acceptas referat; qui etiam prodigioſum Ignem quem Sacræ Literæ 1°. 2^i. *Machab.* ex aqua craſſa ſacrificiis inſperſa ad Solis radios accenſum teſtantur, non minùs ridiculè eò reducit, quàm impiè in fabularum cenſu reponi poſſe ſubinſinuat.

Refellitur opinio Williſii, *de cauſa interpolationis Febrium.*

CAPUT VIII.

QUæ ſuperiùs dicta ſunt contra *Succum nutritium* & *Sanguinis facultatem ſanguificam* ſatis eſſe videntur ad evertendam *Williſii* ſententiam de cauſa *interpolationis Febrium*, quæ illis duobus tanquam fulcris ab *Harvæo* & *Gliſſonio* mutuatis innititur, quum fundamento diruto nulla ſtructura non corruat. At quoniam in hoc ſubjecto *Williſius*, quod alibi vix aggreditur, Ratione Doctrinam ſuam ſtabilire operoſè contendit, ejus Argumenta in medium adducere placuit. Supponit igitur, *id quod Sanguini fervorem periodicum impertitur aliquid eſſe quod ſtatâ ſemper & æquabili menſurâ in corpore generetur*; hoc autem non eſſe *humorem in vaſis meſaraicis aut viſcerum cavitatibus tamquam in minera delitescentem:*

Williſ. de Feb. cap. 3. p. 28.

ſcentem: Non in *Vaſis*, quia Sanguis perenni circulationis motu omnia vaſorum diverticula perluit, eorúmque ſordes abluit, ut nihil noxii in illis remanere poſſit: Non in *Viſceribus*, quia illud fieri non poteſt citra *abſceſſum* aut *tumorem:* Sed nec omnino concedit dari ejuſmodi humores, ſaltem *ſinceros*, quales in Scholis deſcribuntur; vel, ſi dentur, non concipit quo inſtinctu in focis reconditi ſtata putreſcentiæ, abſumptionis & repullulationis tempora obſervent.

At profectò utrumvis dicamus, Solutio eſt perfacilis. Nam ut concedam in ſanitatis illibatæ ſtatu per motum ſanguinis circularem (ſi quem tamen illiuſmodi circulum par eſt agnóſcere) omnes vaſorum amfractus luſtrari, quid impedit quò minùs in ſtatu morboſo ſanguis impulſus per vaſorum minorum anguſtias tranſcolandus ſuis ſibi ſordibus tranſitum præcludat, ibíque reſtitans ſtato tempore putreſcat & accendatur? Quid? an non ipſimet Circulationis Patroni in eo maximè collocant morborum

ex obſtructione pendentium cauſam, quòd propter quorundam vaſorum infarctum, ſanguis in illis non circuletur? quod quum in vaſis non rarò contingere negari non poſſit, viderit *Williſius* quo jure ſimilem ab impuris ſuccis infarctum viſcerum parenchymatis deneget.

Ibid. Hoc autem citra tumorem aut abſceſſum fieri negat *Williſius*. Quaſi verò ea malorum ſuccorum copia quæ partem in molem non attollat, putreſcere nequeat, ac Febrim accendere. Sed fortè negabit *Williſius viſcerum tumores* in Febribus intermittentibus ſæpenumerò contingere. Id quidem in *Libris* (quod tamen in illis eſt perfrequens) non vidit, fortè quia videre noluit: *in vivis* tamen *& ſpirantibus exemplis*, ſi, ut prædicat, *crebrò ægris aſſediſſet*, ſi eorum *caſus ſedulò explorâſſet*, ſi *ſymptomata ſingula perpendiſſet*, eâque *in exacta diaria retuliſſet*, vidiſſet proculdubio, & manibus palpâſſet *tumores* frequentes *hepatis* & *lienis* aut *ventriculi*, qui adeò plerumque ſunt conſpicui, ut vulgi

vulgi oculos non effugiant, quos idcirco vulgari Idiomate **Ague-Cakes**, ſive Placentas febriles, nuncupant; cujuſmodi tumores manifeſtè indicant morbi cauſam in locis ità tumentibus, non autem in chimærico *Williſii ſucco alibili*, quærendam eſſe. Sed nec ſola *viva & ſpirantia*, verùm etiam *mortua* exempla conſuluiſſe debuit, eáque, ſi ex proprio non potuit, ex alieno penu deprompſiſſe, & analogiâ à mortuis ad vivos factâ, per tumores & abſceſſus meſenterii, omenti, pancreatis, renum, inteſtinorum, ex probatorum Authorum fide in cadaveribus inventos, quorum, quia in profundo ſiti erant, in vivis nulla erat ſuſpicio, colligere, non bene concludi in *viſceribus* non eſſe *tumores*, quia ſe conſpectui quandoque ſubducunt.

Si neget ejuſmodi humores etiam *ſinceros* in prima ſaltem regione dari, (præterquam quòd illud ſuperiùs, ut arbitror, ſatis eſt probatum) illum pervicaciæ reum agent tum organa ejuſmodi humoribus à ſanguine emul-

gendis à natura inſtituta, tum excretiones pituitæ biliſque flavæ & atræ per vomitum & ſeceſſum, tum denique eorum collectiones in variis cadaverum locis à mille Authoribus obſervatæ, quorum omnium inſtar unus erit *Fernelius*, qui Pathol. l. 4. c. 10. teſtatur, ſe inveniſſe circiter libram bilis praſinæ ſinceræ in membrana prope cava hepatis concluſam in cadavere defuncti ex Paralyſi Febri tertianæ ſuccedente, quam præceſſerat vomitus bilioſus quotidie recurrens.

At non conſtat, inquit *Williſius*, quo *inſtinctu* ejuſmodi humores, *in focis reconditi*, *ſtata putreſcentiæ*, *abſumptionis & repullulationis* tempora obſervent. Fateor equidem: Sed necdum conſtitit quo inſtinctu Oceanus ſtatas acceſſûs & receſſûs periodos ſingulis duodecim horis, aut muliebria purgamenta menſtruum circuitum exactè obſervent: Nullus autem adhuc inventus eſt qui negaret periodicos maris aut purgamentorum muliebrium recurſus, quamvis eorum rationem non eſſet aſſecutus. Quòd

ſi

ſi ideo *Williſius* periodicos humoribus motus denegat, quia *in focis reconduntur*, ut facere videtur eorum in focis *concluſionem* toties repetendo, advertat humores non niſi dum putreſcunt paroxyſmos febriles inducere; eò autem opportuniores eſſe putredini, quò arctiùs in focis concluduntur, propter tranſpirationem prohibitam.

Deinde, inter Febrium interpolatarum ſigna, ea quæ à pulſu & urinis petuntur in ſuæ doctrinæ patrocinium adducit *Williſius*, quia *pulſus in paroxyſmi initio rarus eſt & obſcurus*, quod *planè*, ait, arguit calorem & ſpiritus vitales à materia quadam cruda & non facilè combuſtibili (*ſucco putà alibili*) quaſi obrui. At ego planè exiſtimo hunc effectum aſcribendum eſſe vaporibus putribus tetríſque à materia febrili in viſcerum aliquo hærente emiſſis, & ſpiritus in corde obruentibus, tandémque accendentibus; cujus ſpecimen reliquit nobis *Hipp.* in putrida Febre ex inguinis abſceſſu accenſa, unde nihil præter vaporem ad cor potuit tranſmitti: putridarum

Ibid. pag. 35.

tridarum autem Febrium inſultus eodem planè cum Febrium intermittentium paroxyſmis modo ægros plerumque prehendunt.

Similiter ex Urinæ in Tertiana intermittente colore flammeo, etiam cùm deſunt contenta, ſuam munire conatur doctrinam, quia id ſanguinis aduſtionem ſeu aſſationem innuit: quem effectum cur ſucco alibili aſcribat, nec ipſe exprimit, nec ego intelligo. Si dicat, ſuccum illum putreſcentem accendere ſanguinem; ego idem de inquinamentis retorridæ bilis è minera per vaſorum continuitatem in cordis ſinus irruentibus affirmabo, dicámque colorem illum ſaturatum non tam aſſationem ſanguinis indicare, quàm tincturam ejus à bilis citrinæ portione è primis viis in paroxyſmi vigore ad vaſa majora penetrantis & ſanguinem inficientis.

Ulteriùs advertit *Williſius, in Tertiana intermittente urinæ malè eſſe, dum bene eſt ægro, & è contrá. Dum enim Febris intermittit, urinam colore rubicundo ſaturari, & frigori expoſitam*

expoſitam craſſeſcere, ac ſedimentum inſtar boli armenæ deponere; in medio autem paroxyſmo, dum calor & æſtus maximè vigent, urinam eſſe laudabilem: quod ideo ait contingere, quia *in paroxyſmorum intervallis materia febrilis innoxiè cum ſanguine circulatur, donec tacitis incrementis ad maturitatem aſſurgat; in medio autem paroxyſmo ad circumferentiam tranſmittitur.*

Reſpondeo: Si verum eſt in paroxyſmi tertianarii vigore urinam eſſe laudabilē, indè optimè colligi materiam febrilem nondum ſanguini miſceri, ſed in minera ſive primis viis hærere, donec ab incendio ex putredine concepto fundatur, & agitata in vaſa irrumpat, unde pars ejus tenuior & maximè diſſipabilis ad habitum corporis per ſudores abſumenda protrudatur, craſſior verò & lentior tantiſper in vaſis ſubſiſtat, donec in Febris intervallo ab arteriis emulgentibus unà cum ſero ex ſanguine attrahatur, ac demum per ductus urinarios expellatur. Si enim, ut ait *Williſius*,

tanta

tanta eſſet in ſanguine corruptela ſive acrimonia quæ ſuccum alibilem quotidie vitiare, & in materiam Febri excitandæ idoneam convertere poſſit, quomodo fieri poſſet ut urina, quæ ſerum eſt à ſanguinis vehiculo reliquum, ejúſque colorem æmulatur & ideam exprimit, vel inter, vel intra paroxyſmos laudabilis eſſet? ut in continuis contingere videmus, in quibus cùm maſſa ſanguinis ſit corrupta, urina à principio ad criſim uſq; incendii febrilis ſigna exhibet.

Hîc non poſſum non advertere *Williſium Maturitatis nomine*, contra communem Philoſophorum acceptionem, genuinámque vocis ipſius ſignificationem, abuti, dum ait ſuccum alibilem eouſque innoxium eſſe dum ad maturitatem aſſurgat, ac tum demum Febrim accendere: quid enim? nonne *maturitas* concoctionis terminus eſt & complementum, adeóque cruditati ſive apepſiæ oppoſita, ut quemadmodum hæc Febres accendere & functiones evertere, ità illa functionum integritatem Febriúmque ſolutionem

tionem inducere nata ſit? & quamvis tum concoctio, tum illi oppoſita cruditas à calore procedere poſſit, cùm tamen hæc à præternaturali, illa à familiari calore oriatur, fines ſortiri ſolent non tantùm differentes & diſparatos, ſed etiam planè contradictorios, ut quod una aſtruit, altera deſtruat, & è contrà. Dato igitur (non conceſſo) *Succum alibilem* ſanguini miſceri, eúmque nunc in materiam febrilem, nunc in partium nutrimentum à ſanguine converti, ſanè tum ſolùm maturescere dicendus eſſet, cùm partibus nutriendis idoneus evadit, minimè verò cùm putreſcit & Febrim accendit.

Pergit *Williſius*, ac *paroxyſmorum præludia, Cephalalgiam ſcil. Vertiginem, oculorum coruſcationes, ſomnos inquietos*, &c. in ſubſidium appellat; eáque ait *planè indicare ſanguinem priùs materiâ fermenteſcente infectum, eatenus tantùm differre paroxyſmum dum ejuſmodi materia turgeat.* Ibid. pag. 3.

Verùm ſi ego oſtendero omnia hæc ſyn-

ſymptomata in aliis morbis ab alia cauſa quàm à *materia fermentativa* in ſanguine turgente proficiſci, quò evadet tanta *Williſii confidentia?* At clarum eſt dicta ſymptomata in paſſione Hyſterica, in Vertigine & Epilepſia per conſenſum, in Melancholia hypochondriaca, in Alvi conſtipatione, Vermibus, &c. à ſolo vapore ex utero, liene, meſenterio, alvo, inteſtinis, aut etiam partibus externis emergente, proficiſci poſſe & ſolere. Quid igitur impedit quò minùs idem in Febribus intermittentibus contingere poſſit?

Deinde addit, pallorem, ſpaſmum, aut ſtuporem in extremis manuum ac pedum digitis, lumborum ac femorum frigus, totiúſque corporis rigorem ac tremorem, *manifeſtè oſtendere* ſanguinem in arteriis & venis fermentationis motum primò concipere, & non à foco aut minera hanc putreſcentiam concitari.

Libenter ſanè doceri cuperem in quo collocat *Williſius* vim hujus illationis tam *manifeſtæ*, &, ut ait, *oſtenſivæ*:

ſivæ : Pallor quippe in extremis manuum ac pedum digitis, ac femorum lumborúmque frigus, vel retractionem foris introcaloris ac ſpirituum vitalium arguit, ut non rarò videmus in ſyncopem patientibus; vel ejuſdem caloris extinctionem, ut in moribundis contingit abſque aliquo fermentationis in ſanguine motu: Stupor autem affectum principii nervorum, vel nervi alicujus particularis ſequitur, Spiritus animales eò non tranſmittentis, plerumque abſque proprio partis ſtupentis affectu; ut contigit *Pauſaniæ Syro*, qui, referente *Gal.* 1. de Loc. affect. c. 5. læſo nervo poſt ſeptimam vertebram prodeunte in trium digitorum ſtuporem incidit. Totius denique rigor ac tremor ſymptomata ſunt nervoſi generis à re quapiam acri aut moleſta vellicati.

Atqui hæc omnia commodè deduci poſſunt ab humoribus in prima regione tamquam in foco vel minera putreſcentibus; à quibus malignus halitus emergens aptus eſt tum propter viciniam Cor appetere, unde ſequitur caloris

ris & ſpirituum vitalium ab extremis ad centrum revocatio, ut parti principi laboranti ferant ſuppetias, pallore interim & frigore partes extimas vivifici nectaris radiis defraudatas occupante; tum propter ſitum declivem cerebro tetram anathymiaſin communicare, quæ vel qualitate narcoticâ ſtuporem inducere, vel copiâ meatus Cerebri obſtruente ſpiritus animales intercipere, vel acrimoniâ nervoſum genus partéſque ſenſiles irritante rigorem ac tremorem accerſere valeat. Imò quid vetat quò minùs eadem anathymiaſis per cæcos vel patentes ductus ad partem quamlibet particularem illæſo Cerebro appellat, in eâque dicta ſymptomata vel eorum nonnulla excitet, eámque variè afficiat pro varia tum ipſius vaporis tum partis mandantis ac recipientis natura? Quòd autem totum ſimul corpus rigor & tremor invadant, non magis cauſam in totum ſimul corpus diſperſam oſtendit, quàm horror in abſceſſu ſuppurante, qui totam compaginem corripit, propter affectum unius ſortè mem-

membranulæ aut nervuli à venenata malignitate vellicati, totum nervoſum genus in conſenſum trahentis.

Horum autem ſymptomatum aitiologiam *ſucco ſuo* explicatè accommodare non aggreditur *Williſius*, & ego fieri non poſſe contendo: nam, ut alia omittam, extremorum frigus actuale & marmoreum quod paroxyſmos auſpicatur nulli ſucco in toto vel partibus reſidenti aſcribi poteſt, quum nihil actu frigidum intra hominem quoad vitâ fruitur concedi poſſit; adeóque neceſſe ſit extremitatum frigus vel frigori ambientis, quod ſedulò cavent febricitantes, vel caloris & ſpirituum quam diximus retractioni tribuendum eſſe: cui aſtipulatur ſubitanea frigoris deſitio quamprimùm vomitus vel ſponte, vel artis operâ excitatur, evacuatâ materiâ venenatâ è centro corporis, & calore & ſpiritu ad extrema denuo remigrante.

Sed fortè apodixin à qua hîc aberravit *Williſius* cumulatiorem in proximo ratiocinio exhibebit, quod à cauſa Febrium procatarctica deducit. Sup-

ponit igitur (quia probatu difficile eſt)
Ibid. pag. 37, 38. *ſolius ambientis anníque tempeſtatum intemperiem Febres interpolatas creare*; cæteras autem res non naturales, cibum putà & potum, excreta & retenta, motum & quietem, ſomnum & vigiliam, Animíque pathemata è cauſarum illas committentium cenſu expungit, nè ſcil. propter malam victûs rationem, aliqua humorum in primis officinis tamquam in *minera* (quam tantopere metuit) congeſtorum ſuſpicio oriatur: quinimò audacter pronunciat *ſolos homines* ἐυπαλάγχνους *viſceráque firma & robuſta habentes Febribus intermittentibus corripi*, at contrariâ temperie præditos *in Hydropem & Cachexiam labi*. Tanti ſc. intereſt *Williſianæ* doctrinæ authoritatem ſartam tectam conſervare, ut rationi noſtræ valedicere & ſenſuum fidei derogare debeamus. Nam ſi ſoli viſcerum firmitudine præditi, & primas officinas cacochymicâ ſaburrâ vacuas habentes Febribus intermittentibus corripiuntur, unde, obſecro, fit ut in paroxyſmorum initiis,

initiis, ac ſæpenumero extra paroxyſmos, perpetuâ ferè nauſeâ, ſiti inexplebili, continuâ anorexiâ, cardialgiâ & oris amaritudine torqueantur? Si prima officina pravorum ſuccorum ſentinâ non eſſet referta, quid excretis per alvum & vomitum tincturam citrinam, praſinam, æruginoſam, conſiſtentiam viſcidam & mucilaginoſam, acrimoniam erodentem, fœtorem abominabilem impertiretur? Si viſcera munda eſſent & firma, quid hypochondriorum, meſenterii, ventriculi tumores doloréſque in Febribus intermittentibus perfrequentes, eárumque comites ferè individuos, committeret?

At, inquit *Williſius*, *cruditates ob debilitatem coctionis in primis viis congeſtæ non Febres interpolatas, ſed Hydropem aut Cachexiam* magis parere ſolent. Sed conſiderâſſe debuit, cruditates primæ regionis non eſſe unius modi, próque illarum diverſitate diverſos oriri morbos; quarum ſi tanta ſit frigiditas & lentor, ut putreſcere aut accendi nequeant, magis pag. 38.

parere cachexiam in hydropem deſituram; ſin incendii capaces ſint, Febres intermittentes ut plurimùm creari. Sed nec ſemper hydrops aut cachexia primigenii ſunt morbi ab ejuſmodi cruditatibus orti, ſed plerumque ſuccedunt Febribus interpolatis in ſchirrum aut abſceſſum degenerantibus, frigore inemendabili calorem febrilem excipiente: Imò debilitas caloris non eſt unicum illius vitium; nec cruditas & cacochymiæ congeſtio à ſolo provenit caloris defectu; caloris etiam exceſſus concoctionem ſolet evertere alimenta corrumpendo, eáque in ſubſtantiam naturæ noſtræ infenſam convertendo. Hinc eſt quòd poſt cibos aromatis conditos intemperanter ingeſtos, & vina potentiora liberaliter obligurita, ructus acidos, nidorulentos, fœtidos, flatus immodicos, aliáque dyſpepſiæ argumenta experiamur: hinc denique, & propter errata in reliquis rebus non naturalibus, fit ut cacochymicam ſaburram coacervemus, & in interpolatas Febres identidem incidamus.

Urget,

Urget, *Febres intermittentes vix contingere niſi circa Æquinoctia, cùm ſcil. Vernus calor ſanguini luxuriem conciliat & effervescentiam, propterea-que bilioſam diatheſin ipſi impertitur; Autumnus autem eidem ab æſtivo calore torrefacto qualitatem nunc acrem & bilioſam, nunc acidam, ſtypticam aut auſteram imprimit : quod planè*, ait, *indicat Febrim intermittentem à temperie ſanguinis mutata originem habere.* Ibidem.

Reſpondeo, Circa Æquinoctia tum Febres, tum alios morbos magis invadere, non ſolùm propter inſignio-res ambientis ac tempeſtatum mutationes, ſed cum illis coincidere noxas ab erratis in victu : Hyeme enim quæ propter crapulam, exercitia intermiſſa, & tranſpirationem impeditam coacervantur ſuperfluitates, ſub Æquinoctium vernum non minùs quàm ſanguis fundi incipiunt, moveri & putreſcere : & in Autumno, præterquam quòd fruges ſæpenumero rubiginem morborum feraciſſimam contrahunt, etiam fructus horarii, quibus

plerique hominum intemperantiùs veſcuntur, fœcundum Febrium intermittentium ſeminarium ſubminiſtrant: ut mirum ſit *Williſium* ſoli tempeſtatum mutationi effectum mille aliis cauſis communem attribuere, idque pro *plena demonſtratione* præfidenter venditare.

pag. 38. Tandem, ex multiplici Febrium ſolutione multiplex depromit argumentum. Ait enim *illas vel ſponte naturæ, vel artis operâ ſolvi.* Ac utrumque modum in duos ramos ſubdividit. *Naturam enim criſin moliri vel per repetitos paroxyſmos, in quorum ſingulis nonnihil materiæ morbificæ expiratè ſanguine; vel ſanguine per cœli & ſoli mutationem circa æquinoctia vel ſolſtitia citra ſenſibilem evacuationem attemperato, Febres deſinere: quorum ſi neutrum contingat, ſanguinem à diatheſi acri & bilioſa, in acidam, aquoſam aut ponticam degenerare, unde diuturna Tertiana in Quotidianam aut Quartanam, vel etiam in Icterum, Cachexiam aut Scorbutum tranſit. Artificialem in Empiricam*

piricam & Dogmaticam bipartitur; *quarum illam huic præferendam* existimat, *eò quòd remedia ab Agyrtis & Mulierculis petita* non rarò plus præstent quàm quæ juxta *exactam methodum* præscribuntur. *Empirica* remedia eo potissimùm nomine Febres fugare dicit, quòd *sanguinem figant*, ejusque *motum & effervescentiam impediant*. *Dogmaticam* autem in *Medicamentis emeticis & catharticis* ac *phlebotomiâ* consistere, quibus *ægri miserè excruciantur*, *morbus verò rarò profligatur*.

Verùm cùm probandum suscepérit Febrium intermittentium phænomena à viscerum affectibus commodè deduci non posse; nisi confecerit humores in foco vel minera concluſos nec repetitis paroxysmis accendi & absumi posse, nec sponte naturæ per cœli aut soli mutationem cicurari, sensímque citra sensibilem evacuationem expirare, nec motos & accensos à remediis empiricis figi & constringi, nec denique à præsidiis dogmaticis exhauriri, frustrà se torquet ut ostendat sanguinem à

tot cauſis tot alterationes ſubire poſſe: nam ut fateamur ſanguinem ab his & mille aliis cauſis corrumpi & reſtitui, unde apparet humores in viſceribus concluſos ab iiſdem cauſis eaſdem corruptelæ & redintegrationis non pati viciſſitudines? aut cur contrarii argumentum aliquod non attulit?

Præterea, quis, præter *Williſium*, in aliam cauſam rejiceret Icterum, Scorbutum aut Cachexiam, quàm in *hepatis*, *lienis*, *meſenterii*, *pancreatis*, vel alterius viſceris affectum? per quorum viſcerum anfractus cùm ſanguis inter circulandum, imò, ut verior fert ſententia, antequam ſanguinis ideam acquirat, dum ſcil. chylus in ſanguinem nondum abiit, debeat tranſire, non mirum eſt ſi, pro diverſitate cacochymiæ in illis congeſtæ, diverſas ſubeat corruptelæ ideas; quam corruptelam fruſtrà corrigere tentaverit *Williſius*, donec viſcerum cacopragian priùs ſuſtulerit; ac propterea intermittentium Febrium, quæ in hos morbos ſolent deſinere, cauſam fruſtrà alibi quàm in *viſceribus* quæſiverit.

Cùm

Cùm verò medicinam Empiricam Methodicæ præferat, adeóque remedia ab Agyrtis & Mulierculis petita potiora illis aſſerat quæ juxta exactam *methodum* præſcribuntur, operæ pretium feciſſet ſi *exactam* illam *methodum*, ſed parùm *efficacem*, in ſcripta retuliſſet, ut conſtaret utrùm arti an artifici culpa eſſet tribuenda. Interim non poſſum non ſuſpicari illum tantam quantam prædicat diligentiam non adhibuiſſe, in *obſervandis vivis & ſpirantibus exemplis*: quod ſi feciſſet, comperiſſet procul dubio præſidia *empirica*, utcumque in levibus affectibus aliquid præſtent, ideóque apud vulgus bene audiant, in affectibus tamen paulò gravioribus ante debitam præparationem adhibita, adeò non prodeſſe, ut graviter noceant: vel enim paroxyſmos, quod ab illis unicè expectatur, non fugant, ut *alibi* ipſe agnoſcit *Williſius*; vel ſi fugent, morbus cum majore atrocia propediem revertitur, humoribus interim, quorum nonnihil in paroxyſmis exhauriri ſolebat, majorem viſciditatem Cap. 4. p. 50.

ſciditatem & malignitatem acquirentibus, unde morbi diuturnitas, ejúſque nonnunquam in tabem, hydropem aut cachexiam metaſtaſis contingit.

Enimvero fallitur aut fallit *Williſius*, dum methodicam curandi rationem in ſolis catharticis, emeticis, ac phlebotomia collocat. Prudentes enim Medici Dogmatici, omiſſâ ut plurimùm phlebotomiâ, quæ in Febribus intermittentibus locum non habet, niſi adſit inſignis plethora, etiam emeticis aliiſque catharticis non niſi parcè & cum diſcretione utuntur, ſaltem in principio; ſed in totius proviſione præcipuam locant induſtriam, humores crudos coquendo, craſſos attenuando, lentos incidendo, acres attemperando, juſto tenuiores ad mediocritatem reducendo, ſuperfluos propriis elateriis per loca conferentia expellendo, meatus per ecphractica reſerando, viſcerum cacopragian alterantibus corrigendo, reliquias ſudoribus diſſipando, aliáſque id genus intentiones perſequendo, à quibus ſi aberravit *Williſius*, non eſt mirum

mirum ſi *ægros miſerè excruciaverit, morbúmque rarò profligaverit*, ut ab Agyrtis & Mulierculis remedia emendicare fuerit coactus. Sed & febrifugis Empiricorum Dogmatici feliciter in loco utuntur, quæ tamen methodicè & ad Artis leges uſurpata in Empiricorum remediorum cenſu reponi non debent, cùm effectus quos præſtant non tam remedii ſalubritati quàm uſûs opportunitati aſcribi debeant: quamvis interim negari non poſſit eorum utilitatem, ut & totius ferè materiæ medicæ, empiricè, id eſt fortuitò, inprimis innotuiſſe.

Cæterùm licèt concederemus, quod certè concedendum non eſt, intermittentes Febres feliciùs & faciliùs curari per empirica quàm rationalia præſidia, quum id fieri poſſit, ſi omnino fieri poſſet, materiâ morbificâ non minùs in ramis venæ portæ, & arteriis comitibus, vel viſceribus ab illis irrigatis concluſâ, quàm in vaſis majoribus ſtabulante, quid indè lucratur *Williſius*, quàm ut teſtatum faciat ſe in *Helmontii*

montii aliorúmque methodomaſtigω, diſſertatiunculis magìs quàm in proborum Authorum monumentis verſatum eſſe? Interim licèt ad præſentem controverſiam parùm pertineat quâ facultate remedia vulgò febrifuga dicta paroxyſmos febriles vel fugent, vel præveniant; in eo tamen *Williſio* aſſentiri nequeo, quòd ſanguinem aut humores frigore aut aſtrictione figendo, id præſtent: hoc equidem nonnulla eorum fixione præſtare fatendum eſt: pleraque tamen vel vi diaphoreticâ materiam morbificam exhaurire, ut carduus, ſcordium; aliáque quædam eandem per urinæ ductus amandare; multa ad cutim attrahere, ut veſicatoria, tam notum eſt quàm quod notiſſimum. Corticis autem Indici (quem Kina Kinam dicunt) facultas potiùs diaphoretica eſt quàm fixoria, quum levem ſaltem ſudorem ſemper eliciat, potiori cauſæ morbificæ portione per inſenſilem tranſpirationem diſſipatâ, ſecùs quàm ſentire videtur *Williſius* in fine Capitis ſexti.

Ad

Ad extremum *Williſius* doctrinam ſuam, quam hactenus tot Argumentis in fronte armatam exhibuit, jam Reſponſis ad Objecta tamquam vallo à tergo munitam claudit. Ex multis tamen quæ poſſint objici, unam ſaltem Objectionem ſeligit, quâ quæritur cur Febres intermittentes nunc ſimplices ſint, nunc duplices: Addo ego & triplices, quod mirum eſt *Williſium*, tam *diligentem ſpirantium exemplorum obſervatorem*, non vidiſſe. Si enim Febris v. g. *Quartana* ab atrabiliaria pendet ſanguinis diatheſi, quæ ad hoc ut ſuccum *alibilem* ad turgeſcentiam evehat, quartanam exigit periodum; quomodo fieri poteſt ut idem ſanguis eâdem diatheſi imbutus ſuccum *alibilem* quatridui ſpatio bis vel ter pervertat, & *Quartanæ* inſultum inducat? Vel enim ultimi paroxyſmi materia ineunte paroxyſmo in ſanguine extitit, vel de novo advenit. Quòd de novo advenerit, eſt contra ſuppoſitionem quatridui incluſivi ſpatium requirentem, ut Quartanæ periodus compleatur.

tur. Si præfuit in ſanguine dum accenderentur duo priores paroxyſmi, quomodo potuit naturam ſuam inter incendia illibatam conſervare, ut ad legitimum Quartanæ typum conſtituendum deveniret?

Hanc difficultatem tanti fecerunt Veteres & Recentiores Medici, *Williſianam* perſpicaciam non aſſecuti, ut plures in viſceribus *mineras* conſtituere fuerint coacti, in quarum una aliqua unius paroxyſmi materia incendio corriperetur, reliquis interea ferias agentibus. Sed *Williſius*

Reſpondet primò, ejuſmodi Febres nihilo ſeciùs *ſimplices* eſſe, non *duplices*, in eóque omnes errare, quia periodos non per *horas*, ſed per *dies* computant: periodum enim *Quotidianæ non ſemper eſſe exactè viginti quatuor horas, ſed nunc ſexdecim, nunc triginta: Tertianæ autem circuitum non ſemper eſſe quadraginta octo, ſed nunc quadraginta, nunc quinquaginta ſex aut circiter horas.* Unde contingere dicit *alternos paroxyſmos nunc ante, nunc poſt meridiem evenire, ac Medicis hujus ſup-*

ſupputationis ignaris duplicem videri Febrim, quæ reverâ ſit ſimplex.

Miſeros & cæcutientes Medicos Dogmaticos! qui cùm innumeras Febrium tum continuarum tum intermittentium complicationes, eáſque tum ejuſdem tum diverſi generis, vel viderint, vel finxerint, *horariam* tamen *Williſii computationem* videre non poterant. Et ſanè nondum quidquam de duplice Quotidiana vel comperimus, vel fando audivimus: Et ejuſmodi Febres non dari, vel indè conſtat, quia, ſatente *Williſio*, Quotidianæ paroxyſmus ad octodecim vel viginti horas extenditur, quapropter duplicem acceſſum unius diei ſpatio admittere non poteſt; neque tota ejus periodus ad triginta horas extendi, cùm de ratione periodi intermittentis ſit, ut intra ſpatium illud à quo Febris denominationem ſortitur, vel circiter, unum ſaltem paroxyſmum cum apyrexiæ interſtitio percurrat, alterius paroxyſmi initio apyrexiam proximè excipiente. Quòd ſi aliter contingat, & ſtatus periodorum recurſus

curſus invertatur, Febris erit *erratica*; quam licèt Dogmatici frequenter conſpexerint & obſervaverint, de illa tamen in hac quæſtione ſermo non eſt, ſed de *intermittentibus duplicibus, quarum acceſſus ſtatis præciſè horis repetunt, ut non exactiùs αὐτόματον horologicum*, prout *Williſio* alicubi exprimere placuit; in quibus non rarò contingit alternos paroxyſmos ſibi invicem exactè & regulariter reſpondere, tertium ſc. quintum & ſeptimum primo, ſextum autem & octavum ſecundo, & ſic de cæteris, duobus paroxyſmis unicam tertianam periodum exactè & regulariter obſervantibus, & quotidie repetentibus, quod non *ſimplicem*, ſed *duplicem* Tertianam oſtendit, cujus cauſam inveſtigamus. Quod adhuc clariùs elucet in illa *Tertiana duplice* quæ unius diei ſpatio binos acceſſus inducit, quos excipit integri ſequentis apyrexia in alium paroxyſmum ſub tertii diei initium deſitura, ut in *vivis* & *ſpirantibus exemplis* non potuit non obſervare *Williſius*. Quod & ulteriùs

in

in *Quartana duplice* patet, cujus duo acceſſus primum biduum occupant, cum integra tertii diei apyrexia, ut omnium hominum doctorum juxtà & indoctorum obſervationibus conſtat. Nec minùs id ipſum in *triplice Quartana* (conſultò, ut arbitror, à *Williſio* prætermiſſa) perſpicuum eſt, cujus acceſſus non minùs quàm duplicis Tertianæ aut legitimæ Quotidianæ quotidie repetunt, quas tamen ſufficienter diſcriminant propria cujuſque morbi Idea & mores, ut *Williſio* ſatis compertum eſſe debet, ſi *ſingula ſpirantium exemplorum ſymptomata diligenter perpendit, eáque in exacta diaria retulit.*

Williſius igitur in *horaria Arithmetica* nullum inveniens ſubterfugium, ad errata in victu confugit, ex quibus Febrium replicationem eodem vel diverſis diebus contingentem repetit. Sed quum non ſolùm erratici paroxyſmi, qui nullum temporis ordinem ſervant, ſed etiam ordinatæ paroxyſmorum replicationes contingant etiam exactas diætæ re-

gulas durante morbo obſervantibus; nec ad prægreſſa ante morbum victûs errata refugere queat, tum quia illa è febrilium cauſarum cenſu jamdudum expunxerat; tum quia diverſos cogeretur focos conſtituere, in quibus febrilis materia diverſis temporibus ad orgaſmum exurgeret; tum præſertim quia chylus ſeu ſuccus nutritius, quem Febris intermittentis cauſam ſtatuit, ex victu præſente non morbum præcedente gignitur: aliud adhuc latibulum ut excogitet neceſſe eſt, quod etiam in promptu habet.

Dicit enim *Sanguinis maſſam nonnunquam plus materiæ congerere quàm unico paroxyſmo diffiari queat, unde contingere ut partem ejus tenuiorem, ideóque promptiùs inflammabilem, leviori paroxyſmo tamquam velitatione quadam priùs excutiat, craßiore ad ſequentem acceſſum reſervatâ.*

Hæc reſponſio, ut prior, errata in victu ſupponit, quæ tamen ab omnibus duplices intermittentes patientibus

tibus non committuntur: imò in duplice Tertiana aut triplice Quartana ægri nihil omnino alimenti, ſi potulenta exceperis, ad multos dies nonnunquam admittunt, ac nihilominus ordinatas Febrium replicationes patiuntur.

Præterea, cùm videamus ſecundum paroxyſmum reduplicativum priore non rarò eſſe multò leviorem, cujus contrarium contingere debere tum *Williſius* ſupponit, tum rei natura exigit, cùm materia craſſior tum intenſiorem caloris activitatem, tum diuturniorem accenſionis moram, ut ſubigatur, poſtulet; aliud adhuc diverticulum *Williſio* quærendum eſt, quod, quâ pollet ſagacitate, ſine difficultate offendit; nervoſum nempe genus, in quo pars materiæ fermentativæ, ſuccus ſc. nervoſus, inter circulandum depravatus, ferias agat, dum reliqua in venis & arteriis cum ſanguine accenditur, poſtridie eaſdem excandeſcentiæ vices, alterâ feriante, ſubitura. Huc ſc. reſervaverat jamdudum profligatum *Gliſſonii ſuccum*

nervoſum, cujus nullum hactenus uſum aſſignaverat, niſi ut ſi quando à ſanguine labem contrahat, Convulſionum, Delirii, Phrenitidis ſit author.

Sed cùm ſuccus nervoſus cum ſanguine vitioſo quotidie circulari ſupponatur, indè non poteſt labem non contrahere, proindéque tum in omni Febre reduplicare paroxyſmos, quod eſt contra experientiam, tum in ſingulis gravioribus ſaltem paroxyſmis Convulſiones, Deliria, Phrenitidem accerſere deberet. Ejuſmodi autem ſymptomata cùm rariſſimè Febres intermittentes comitentur, nervoſi certè generis ab illis immunitas vel hoc ſolo nomine evincere videtur, paroxyſmi reduplicativi cauſam in illo non contineri.

Interim notatum velim, ex hoc ſubterfugio apparere ad reduplicationem paroxyſmorum diverſitatem foci, nervos ſcilicet & vaſa ſanguinem continentia, etiam ex mente *Williſii* neceſſariam eſſe; eúmque, cogente veritate, ad ſcopulum quem vitan-

vitandum ſuſceperat impingere, opinionémque illam vel invitum amplecti, in cujus negatione tum doctrinæ baſin, tum famæ aucupium collocaverat. Ubi autem gentium tertium inventurus ſit repoſitorium, quod triplicis paroxyſmi ſomitem contineat, ſi viſcera excludat, ego equidem divinare non poſſum.

Williſiana *Febrium Therapeia expenditur.*

CAPUT IX.

POſt novam febrilis Dialeipſeos ætiologiam expenſam, ad *Williſii* doctrinam de continuarum Febrium Cauſis tranſire conſentaneum eſſet. Sed quum in illis idem ferè cum pleriſque aliis Medicis ſentire videatur, quamvis, terminis ex torculari & Zythepſario, principiis autem partim ex Chymiſtarum vix dum ſatis adultâ, partim ex Atomiſtarum jamdudum obſoletâ

& exploſâ philoſophiâ mutuatis, novum aliquid & non vulgare attuliſſe videri velit; ad deſtinatum *Hippocraticæ* ætiologiæ penſum feſtinandum duximus, ſi tamen priùs in Therapeuticam *Williſii* methodum tamquam per tranſennam pauliſper introſpexerimus. Conſilium enim nobis non eſt, omnia ab eo dicta refellenda aſſumere, ſed paucula tantùm, quæ gravioribus in praxi erroribus anſam præbere poſſunt. Cujuſmodi inprimis eſt illud, quòd in *omnis Febris intermittentis principio phlebotomiam ex brachio ſuadeat, in progreſſu damnet:* cujus contrarium ratione & experientiâ facile eſt aſtruere. Si enim, ut communis Medicorum fert opinio, à *Williſio* nondum, ut vidimus, enervata, continens intermittentium cauſa in ramis venæ portæ & viſceribus ab illis irrigatis reſideat, nec illi rami ullibi ad cutem niſi circa anum erumpant, fruſtrà materiæ peccantis eductio per ſectam in brachio venam expectatur: Sed nec ſine damno fieri poteſt, cùm indè non

C. 4. P. 48, & 58.

leve

leve immineat periculum metaſtaſeos Febris intermittentis in continuam; exinanita enim per ſectam brachii venam vaſa majora, ſanguinem impurum ex ramis venæ portæ ſugunt, Febrem continuam accenſurum, ut obſervat expertiſſimus *Platerus*. Obſervârunt idipſum & Medici antiqui, licèt veram ejus cauſam non omnes expreſſerint, aut fortè ſint aſſecuti; ideóque in intermittentibus phlebotomiam ante quartam ſaltem acceſſionem prohibent, quam nec tum permittunt, niſi emiſſo præſagio de proximo acceſſu vehementiore futuro. In diuturnarum verò intermittentium progreſſu, ſecùs quàm dicit *Williſius*, poſtquam ſanguinis maſſa tot paroxyſmorum conflagrationibus & inquinamentis incanduit & computruit, nihil ſanguinis miſſione ſalutarius, ut cuilibet experiri promptum eſt, & ego tum in multis aliis, tum præſertim in filio primogenito Illuſtriſſimi D. *Arundelii*, Sacri Imperii Comitis, & Baronis de *Wardour*, expertus ſum, quem ſanguine bis detracto à

Plat. de Feb. p. 110.

Quartana liberavi, quæ biennii ferè ſpatio Clariſſimorum Medicorum operam eluſerat.

Cæterùm, ſi ſimul cum Febre intermittente præſens ſit plethora in vaſis majoribus, ut aliquando contingit, nihil vetat ſanguinem parcè ex brachio detrahere, præmiſſâ tamen primæ regionis catharſi leni dejectoriâ, vel emeticâ, nè ejus ſordes à vaſis majoribus alliciantur, & in Cordis thalamos rapiantur, unde ſyncope aut lipothymia poſſet ſupervenire; ut nonnunquam in quibuſdam continuis (ſyncopalibus ideo dictis) viſum eſt, propter bilem ex prima regione in vaſa majora, per venæ ſectionem depleta, tranſmiſſam.

Similiter quamvis Catharſin tum alviducam, tum emeticam, eradicativam ſaltem aut vehementem, inter intermittentium initia non niſi cautè aggrediendam, rectè affirmet; cur tamen eandem in progreſſu, poſt debitam totius proviſionem, morbificæque materiæ cicurationem, non admittat, paradoxum eſt, cui ratione

vel

vel authoritate aſſenſum conciliare debuit: mihi enim nihil indè periculi timendum videtur, quia *Hippocrates*, 2. de Morbis, in Quotidiana non ante nonum diem, in Tertiana autem poſt quartam acceſſionem, ſi morbus perſeveret; hoc eſt in utriuſque vigore, ac longè poſt initium, purgationem imperat; antè verò prohibet, niſi inſignis adſit cacochymia, ut patet ex lib. de Affect. p. 173. Editionis Fœſianæ: nam humores ſubacti & ad exitum parati (citra vim aut tumultum) educi poſtulant, ac poſſunt, imò debent, priuſquam febrifugorum uſus, à *Williſio* tantopere *laudatus*, ineatur, eorum præſertim quæ humores *figendo* paroxyſmos profligant: ità enim fixi & ſuppreſſi peccantes humores putrefierent vel recrudeſcerent, vel ulteriorem ſaltem acrimoniam aut viſciditatem morâ contraherent, ægros in colicam, tabem, cachexiam, aliáque infinita mala præcipitaturam.

Verùm quàm cautus eſt & meticuloſus *Williſius* in Intermittentibus, quas genuina indoles & εὐπάθεια extra

periculi

periculi aleam conſtituit, (ſi nullus error paulò gravior admittatur) tam eſt audax, nè dicam temerarius, in Continuarum Therapeia. Quamvis enim in acutarum initiis nulla vomitoria aut cathartica, niſi omnino lenia & benigna, admittenda præcipiat; in augmento autem omnia cathartica, lenia pariter atque vehementia, eâdem induſtriâ quâ *Ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus* arcemus, vitanda conſulat; paulò tamen pòſt, veluti ſui immemor, *in ægrorum* ſc. *hiſtoriis*, quas tamquam Canones aut prototypos ad noſtram imitationem proponit, non dubitat etiam quarto die ad infuſionis *Croci metallorum unciam* aut drachmas decem aſcendere; quod an in pharmacorum omnino lenium aut benignorum catalogo reponi mereatur, æquus Lector judicet.

Cap. 11. pag. 111.

pag. 112, & 126.

pag. 115.

Hanc praxin *Hippocraticæ* in Febrili organino conſentaneam imaginabitur fortè quiſpiam, qui initio purgandum præcipit, ſi materia turgeat: turgere autem exiſtimabit, ſi adſit nauſea,

Prim. Aph. 22.

nauſea, & ventriculi oppreſſio, ut in obſervationibus *Williſii* contigit. Verùm enimvero nauſea & ventriculi oppreſſio plerumque procedunt vel ab ejus phlegmone, vel ab irritatione à bile viſcidâ & tenace ejus tunicis impactâ, unde ante coctionem difficulter educitur, ídque citra Orgaſmum, quem non niſi rarò contingere ibidem prudenter monuit *Hippocrates*; eâ ſcil. cautelâ temeritati noſtræ ſepem & obicem poſiturus, nè ſimilitudine nos decipi & in errorem pernicioſum per incogitantiam abripi pateremur.

Sed nec ſi adeſſet Orgaſmus, (cujus omnino non meminit *Williſius*) ad emeticum antimoniale, in tanta præſertim doſi, procedendum eſſet, cùm in materia vaga ac mobili orgaſmum concitante, ideóque facilè educibili, benigniorum aliquod, cujuſmodi ſunt Manna, Caſſia, Tamarindi, Catholicon & ſimilia, ſatìs eſſet.

Præterea, Orgaſmus in quo celer eſt motus & præceps impetus ad quartum diem nequit extendi, quin priùs vel ſuapte indole exitum ſibi ἄνω vel

κάτω

κάπω præoccupet, vel in partem aliquam principem aut ignobilem irruat in alium morbum metaſtaſin facturus; unde *Hippocrates*, ut occaſionem errori præcludat, *orgaſmum primæ diei termino* concludit, ideóque ſi purgandum ſit, αὐθήμερον purgare jubet. Quæ autem citra orgaſmum contingit nauſea & oppreſſio ventriculi, per phlebotomiam, fotus, epithemata, enemata, aliáque id genus alterantia & revellentia aſſumpta & admota mitigari, & ad pepaſmum diſponi debet, abſque catharſi humores concitare, ac denuo confundere natâ, quod Febris augmento & viſcerum tono pervertendo occaſionem præberet.

4 Aph. 10.

Tandem, quamvis concederemus morborum tardioris motûs initium ad quartum diem extendi poſſe, ideóque tamdiu catharſi leviori locum eſſe; id tamen concedi non poteſt in orgaſmo, qui non niſi in peracutis contingit, nec in Febre intra ſeptimum vel octavum diem ſua tempora percurrente; cujuſmodi fuit illa Matronæ quinquagenariæ,

riæ, cui quarto die *Williſius* unciam infuſionis Emeticæ exhibuit: ut neceſſe ſit morbum ſaltem in augmento fuiſſe, adeóque *Williſium* pharmacum, quod in initio etiam præſente orgaſmo minimè tutum exiſtimari poſſit, tamquam ſui canonis oblitum, exhibuiſſe in augmento, in quo *omnia cathartica levia pariter & vehementia eâdem induſtriâ vitanda conſulit, quâ ventorum flamina ab ædibus incendio flagrantibus arcemus.* Cap. II. p. 115.

Verùm enimvero Emeticorum in Febribus uſum tam infamem reddiderunt crebræ mortes & funera, ut, fatente *Williſio* in hiſtoria Juvenis ſtudioſi, tum ipſe æger, tum amici, *periculo priùs edocti*, Vomitorium à Medico quartâ morbi die propoſitum reſpuerint, licèt Vomitu ferè continuo infeſtaretur, à quo præcipuam propinandi Emetici indicationem ſumere ſolet *Williſius*. Et profectò in illo ægro jure optimo rejectum fuit Emeticum, quippe cui tum latus dextrum dolebat, tum utriuſque hypochondrii aderat diſtenſio, manifeſto phleg-

phlegmones viſcerum indicio, quo in caſu Vomitorium procul omni dubio certiſſimam & citiſſimam mortem intuliſſet.

Mirum autem eſt quòd in ejuſmodi hypochondriorum dolorifica diſtenſione ac æſtu interno, Medicus iſte, quiſquis fuit, (nec enim ſuſpicari poſſum *Williſium* tam inſani conſilii authorem eſſe potuiſſe) nulla partibus affectis topica applicuerit, quæ certè ſi applicata fuiſſent, non magis ſubticuiſſet *Williſius*, quàm exhibitionem *hypnotici*, vel *ſpiritûs cornu cervini*. Sed Topicorum nulla in hiſtoriis *Williſianis* extant veſtigia, quæ tamen ad viſcerum contemperationem & incendii in ipſo foco extinctionem à ſanioribus Medicis unicè laudantur; quamquam illa tamquam quiſquilias plerique in *Anglia* Practici vel negligant, vel rideant.

Hîc non poſſum non advertere, altum eſſe in hac hiſtoria de pepaſmo ſilentium, abſque quo ægrum nono die perfectè judicari potuiſſe non eſt credibile, cùm, ut ait *Galenus*, primo de

de diebus decretoriis nec ſudores, nec vomitus, nec alvi profluvia, nec parotides, nec hæmorrhagia ante concoctionem venientia morbum unquam per criſin finiverunt: cujus tamen non meminit *Williſius*, tam diligens ſymptomatum obſervator & relator. Meminit tamen in hiſtoria Matronæ quinquagenariæ, cui die morbi octavâ concoctionis quædam veſtigia in urina primùm apparuiſſe aſſerit, eâque ipſâ die per ſudorem perfectè judicatam fuiſſe: quam evacuationem criticam fuiſſe & meritò ſalutarem contendit, quia illam, ità ut fieri debuit, hæc tria præceſſerant; *ſanguinis* ſc. *plena & ſufficiens deflagratio triduo continuata; materiæ aduſtæ ad plenitudinem congeſtio nocte criſin præcedente, quam teſtabatur inquietudo & jactatio; ac denique ejuſdem materiæ pepaſmus, quem oſtendebant in urina concoctionis ſigna ſive veſtigia quædam*, ut paulò antè dixerat. At unde conſtat id ità fieri debuiſſe? rationem enim nullam adducit. Sed fortè propriam authoritatem, pag. 117. pag. 115.

tem, ſpretâ *Hippocratis*, à nobis tamquam oraculum ſuſpiciendam exiſtimat. Fatemur quidem criſin non contingere niſi in morbis acutis, in quibus fiat humorum acceníio: fatemur, imminente criſi, ægros inquietudine & jactatione affligi, quam perturbationem criticam vulgò dicunt; quam an ſatis appoſitè per materiæ aduſtæ congeſtionem expreſſerit, ipſe viderit: fatemur denique, concoctionis ſigna in urina criſin non tantùm comitari, ſed etiam præcedere debere, idque ſaltem uno quaternione; adeóque criſin nullam ſalutarem & perfectam eſſe poſſe, niſi quæ tum die Indice fuerit ſignificata, tum contigerit die Judice, cujuſmodi perrarò eſt octavus, ut *Hippocratis*, *Galeni*, omniúmque ætatum monumentis & experimentis conſtat; quibus cur minor quàm *Williſianis* fides adhiberi debeat, non capio.

Atque huic ſententiæ ratio aſtipulatur: Materia enim morbifica dum adhuc cruda eſt bonis ægri rebus nequit expelli, ut hîc concedere *Williſi-*

us videtur; ut coquatur autem, unum ſaltem quaternionem exigit, cùm Natura nihil repentinum agat, ſed gradatim ad morbi uſque incrementum materiam morbificam ſubigat, eâdémq; ferè proportione ad excretionem præparet. Hujus autem Matronæ morbus cùm non niſi quinto ad incrementum, & ſeptimo ad ſtatum perverierit, nec dum aliqua concoctionis ſigna apparuerint, conficitur ante undecimum criſin ſalutarem contingere non potuiſſe: ut omnino neceſſe ſit, vel concoctionis ſigna citiùs apparuiſſe, adeóque *Williſium* hujus morbi motum *diligenter non obſervâſſe*; vel certè morbum die octavo non ſuiſſe judicatum, niſi fortè tanta fuerit *decocti foliorum ulmariæ* præſentia, ut facultate febriſugâ, cæcæ Antiquitati abſconditâ, ſtatum naturæ terminum in *Williſii* gratiam perverterit; quod & *ſpiritum cornu cervi* in Juvene ſtudioſo propemodum conclamato præſtitiſſe quis dubitet? pag. 117.

Verùm quum hæc *Williſii* praxis

 felicem

felicem ſortita ſit effectum, fruſtrà in ejus refutatione laborem poſiturus videbor, cùm experimentis præcepta, non præceptis experimenta accommodare debeamus, ipſâque Medicina per Experimenta in Artem primò excreverit. At profectò ex experimento uno aut altero Canonem conſtituere non magis licet, quàm ex una aut altera hirundine Vernum tempus colligere. Fuerit ſanè in hac Matrona idioſyncraſia aliqua *Williſio* unicè nota, cujus merito pervalidum Emeticum die Febris acutæ quarto innoxiè ſumpſerit: Fuerit in Viro Clariſſimo tanta virium conſtantia, ut ſecundo morbi die Emeticum adhuc validius, infuſionis ſc. emeticæ drachmas decem, ac poſtridie phlebotomiam liberalem cum fructu tulerit, (nec enim hiſtoriarum fidei derogare æquum exiſtimo.) Unius tamen *Williſii*, pauculos fortè annos ante conſcriptam Diatribam de Febribus medicinam exercentis, unum aut alterum experimentum tot ſeculorum experientiæ, tot Medicorum calculis confirmatæ, præhabere

Cap. 11. pag. 117.

habere periniquum arbitror. Peragravit magnus *Hippocrates* potiores orbis terrarum partes, omnes *Græciæ* urbes diu & accuratè luſtravit, in regionibus frigidiſſimis, calidiſſimis & temperatis praxin ſe exercuiſſe *aſſerit*, in *Libya* ſcil. *Scythia* ac *Delo*; ſua & prædeceſſorum experimenta in Adverſaria retulit; ex illis præcepta, imò Artem conflavit & concinnavit, poſterorum obſervationibus & induſtriâ locupletatam, *Galeni* præſertim, Viri omnis literaturæ ſcientiſſimi, & mortalium diligentiſſimi, qui in celeberrimo Orbis theatro, in omnium gentium confluxu praxin exercuit, in tanta ægrorum frequentia, ut unâ æſtate quadringentos ſeptimo die à Febre per criſin liberatos ſe vidiſſe teſtetur; unde quantam ægrorum infinitatem aliis diebus judicatos conſpexerit, facile, imò difficile, eſt conjicere. In arte ab his Coryphæis exculta *Williſius* ſtabilia fundamenta deſiderat; quod ideo ait contigiſſe, quia poſteriorum Medicorum properum nimis & præpoſterum ſtudium ex *Hippocratis* &

Hipp. in fin. Progn.

Gal. 3. de Dieb. critic.

Galeni monumentis methodum generalem compoſuit: in hac, inquam, ſtabilia fundamenta invenienda negat; In Præf. *ſtatuit* tamen pleroſque Medicos ratiocinatione propriâ *novam methodum*, *novas* ſibi cudere *hypotheſes* poſſe ac debere, quibus *exactiùs* quàm vetuſtiori illi Febrium quadrent phænomena. Solos nimirum αὐτοδιδάκτους & ex machina Medicos ſuſpiciendos exiſtimat, qui ſcil. *in loca devia, & vaſtam ſolitudinem nullis calcatam veſtigiis, ſibi ipſi duces & comites, ſeceſſerint*, morborúmque curam & diagnoſin ubi non ſint homines didicerint; qui in Libris nihil quod ſatisfaceret invenerint, qui, *Williſii* ad exemplum, viva ſolummodo & ſpirantia exempla obſervaverint. Atqui optem ut *Williſius* etiam mortua exempla conſuluiſſet, paucóſque quos ejus felicitas magis quàm Emetici in Febrium acutarum initiis exhibiti ſalubritas ſervavit, cum populo à Medicaſtris, Mulierculis, Agyrtis, Miniſtris, per Emetica in Febribus exhibita jugulato contuliſſet; deſtitiſſet procul-

procul dubio praxi tam peſtilenti exemplo & authoritate ſuâ patrocinari, mecúmque ſtatuiſſet civilem gladium in ſicarios & publicos graſſatores juſtiùs ſtringi non poſſe, quàm in ejuſmodi humani generis peſtem, qui ſine mulctæ metu aut conſcientiæ ſcrupulo tam projectè de humano ludunt Corio.

Epilogus.

A*Criùs fortaſſe quàm debui, certè commotiùs quàm conſtitueram, in has Novitates invectus, veniam tamen meriturus mihi videor, quòd opinationes non minùs cogitatu inconcinnas quàm uſu perniciosas in Medicinam introductas citra quandam indignationem conſpicari non potui. Quid enim* ſucco nutritio *à ſanguine diverſo inanius fingi, quid* ſucco nervoſo *à veritate alienius dici, quid* ſanguine ſanguificante *vel credi*

inutilius, vel ſuſtineri improbabilius poteſt? Hæ tamen ſunt machinæ quibus moderni Athletæ veterem Medicinæ ſtructuram demoliri & rudera complanare *profitentur: hæc novæ Philoſophiæ* jam primùm affulgentia ſunt Lumina, *in quorum evidentia non acquieſcere, perinde eſſe ac in* ipſa Luce cæcutire *affirmare non ambigunt: hæc tanquam Oracula non ſuſcipere,* inſignis pervicaciæ, quæque viros prudentes & Philoſophiam profeſſos minimè deceat, *argumentum eſſe audacter pronunciant. Ac profectò* Lumina *ſunt, ſed* Ignis fatui, *qui imparatos animos percellit, ab attentis inanis deprehenditur:* Putrium lignorum *ſunt Lumina, quibus inadvertentiæ Nox fulgorem impertitur, accedente accuratioris ratiocinii* Sole *quantocyus extinguendum. Quantò igitur ad nominis gloriam illuſtriùs, ad Reipublicæ Medicæ compendium utiliùs feciſſent Viri ampliſſimi, ſi in exhaurienda* Hippocraticæ πολυπλουτίας *abyſſo ingenii fœcunditatem exercuiſſent? Cæterùm quam*

illi

illi libertatem in novis Opinionibus propugnandis, & Medicinæ Parentum authoritate deprimendâ assumpserunt, eandem mihi in illis impugnandis; in istâ vindicandâ, ut spero, non invidebunt.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

inutilius, vel ſuſtineri improbabilius poteſt? Hæ tamen ſunt machinæ quibus moderni Athletæ veterem Medicinæ ſtructuram demoliri & rudera complanare *profitentur: hæc novæ Philoſophiæ* jam primùm affulgentia ſunt Lumina, *in quorum evidentia non acquieſcere, perinde eſſe ac in* ipſa Luce cæcutire *affirmare non ambigunt: hæc tanquam Oracula non ſuſcipere,* inſignis pervicaciæ, quæque viros prudentes & Philoſophiam profeſſos minimè deceat, *argumentum eſſe audacter pronunciant. Ac profectò* Lumina *ſunt, ſed* Ignis fatui, *qui imparatos animos percellit, ab attentis inanis deprehenditur:* Putrium lignorum *ſunt Lumina, quibus inadvertentiæ Nox fulgorem impertitur, accedente accuratioris ratiocinii* Sole *quantocyus extinguendum. Quantò igitur ad nominis gloriam illuſtriùs, ad Reipublicæ Medicæ compendium utiliùs feciſſent Viri ampliſſimi, ſi in exhauriendâ* Hippocraticæ πολυπλουτίας *abyſſo ingenii fœcunditatem exercuiſſent? Cæterùm quam illi*

illi libertatem in novis opinionibus propugnandis, & Medicinæ Parentum authoritate deprimendâ assumpserunt, eandem mihi in illis impugnandis; in ista vindicanda, ut spero, non invidebunt.

FINIS.

BIBLIOTHECA ECCLESIÆ